

DISSERTATIO THEOLOGICA

De
ASCENSIONE CHRISTI
IN COELUM, ET COELO, IN
quod corpore suo assumtus est,

*Continens brevem ac modestam Paradoxorum de
Caelo illo proponi solitorum ἀνασκευών:*

DE QU
JEHOVA TER OPT. MAX. CLEMENTER
assistente

SUB PRÆSIDIO
DN. D. CHRISTOPHORI PELARGI,
in Illustri Academiâ Marchica Professoris, Pastoris ac Superin-
tendentis General. Senioris ac DECANI Facultatis
Theologicæ,

*Pro summo in Theologicis gradu impetrando
RESPONDEBUNT*

Quoad partem primam de ascensione Christi,
M. MARTINVS FUSSELIUS, SERENISSIMO ELECTO-
ri Brandenburgico à concionibus & consiliis sacris:

Quoad alteram de celo Beatorum,
GEORGIUS VECHNERUS, Fr. Si. L. S. S. Theologiæ in Illustri
Schonaichiano Profess. Publ. Ordin.


Quoad tertiam de Cælo DEI,
M. WOLFGANGUS CRELLIUS, primæ Philosophiæ Profes-
sor in Academia Electorali Francofurtana P.
Deputatur solenni disputationis actui

*XXVI. Junii τῆς περὶ ἀσκήσεως καὶ ἀπιδείξεως
AN. M. DC. XVII.*

LITERIS HARTMANNIANIS.

DISSERTATIO THEOLOGICA
De Ascensione Christi in
coelum, & coelo Beatorum in quod
Christus corpore suo assumtus
est.

I.

onsideratione religiosa,
devotâque meditatione cum per
se dignissima est gloriosa Christi
in coelos ascensio, ut quæ *Catboli-
ca fidei confirmatio atque adificatio ab
Augustino* appellatur merito, cum
etiam his temporibus accommo-
datissima.

II.

De eâ verò acturi, illa potissimum in præsen-
tiarum expendemus, quæ in ipsâ Thematîs enun-
ciatione disertè exprimuntur: cum quæ præter ista
in ascensione Christi sunt ἀξιόπαινα & locis aliis piè
soleant explicari.

III.

Ita primò expendendus offertur *actus* quidam,
nempe *Ascensio*, inde ejusdem secundum *subjectum*,
nempe *Christum*, & *terminum ad quem*, nempe *coelum*,
determinatio.

IIII.

Ascensionis vox propriè motum denotat, ex
localibus terminis ita æstimatum, ut terminus qui-
dem à quo inferior, terminus ad quem superior esse
intelligatur.



Tralatio usu, sed per contextum ac rerum ipsarum, quibus tribuitur, exactioem facile conspicuo, à terminis localibus quandoque ad terminos secundum dignitatem æstimatos, aut alio quodam modo per analogiam ad locales differentias concipi aut designari solitos, accommodari tam sacro, quam profano usu solet. Prout & illud in Hebræa (הלע) & græca (ἀναβαίω) voce conspicuum esse potest linguarum istarum Textus consulentibus.

VI.

Hoc loco proprium ejus vocis significatum usu venire, tum evidentissimè ex commemorationis Apostolicæ circumstantiis, tum & ex variatâ ejusdem actus illius designatione ex sacris scripturis facile depromendâ clarere potest.

VII.

Αναβάσις seu ascensionis nomen rectè hic adhiberi, & ex scripturæ usu, facile evincunt loca: Joh. 20, v. 17. Ephes. 4, v. 8. 9. Psal. 68, v. 19. ut frustraneo prætextu eam vocem in consideratione hâc non nemo repudiare videatur: qui, cum de Ascensione Christi scripturam peculiari modo loqui ait, ἀνάβασιν in scripturis eam non vocari subdit, vocemque eam quasi averſatur.

VIII.

Nomina quæ aliàs usuveniunt in hoc negotio, omninò locales illas differentias disertè signant, propriamque ascensionem intelligendam esse confirmant.

9. Ex

Ex scripturæ Phrasi ita potest vocari ἀνάληψις, juxta Marci narrationem. Mar. 16. 19 & Act. 1. 11. quâ ipsâ voce terminus localis superior expresse designatur, inferior simul innuitur. Unde & ἀνελήθη quasi ἀνω ἐλήθη exponi nonnullis solet. Sed & particula ἀνά in compositione vis satis manifesta, in quâ non iterum seu rursus tantum, sed & sursum frequenter significat, ut Philologis notum.

X.

Ejusdem scripturæ ductu διάστασις, separata secundum locum statio & constitutio dici potest ex Luc. 24. 51. Siquidem διίστημι & διίσταμαι seorsim stare ac statuere significat, localemque distantiam ac variationem satis evidenter exprimit, ut videre est Act. 27. 28.

XI.

Pari quoque jure ἀναφορὰ latius sursum versus appellari potest, ex loco modò citato Luc. 24. 51. ubi non solum dicitur διέστη sed & ἀνεφέρθη εἰς τὸν ἔργον: cuius vocis vis æstimari potest ex Matth. 17. 1. Mar. 9. 2.

XII.

Sic & ἐπαρσις elatio, elevatio, sublatio, sursum, fieri intellecta, scripturæ phrasi πρᾶξιā dici potest, ex Act. 1. 9. ubi dicitur βλέπόντων αὐτῶν ἐπήρθη quæ vox ut vel additæ circumstantiæ non attingantur consonam ascensionis significationem facile ostendit, ex Luc. 24. 50. 1. Tim. 2. 8.

XIII.

Potest & ὑπολαβῆς nomen hoc loco usurpari, quandoquidem Act. 1. 9. dicitur νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτόν.

4 3.

14. Πορείας

XVIII.

Πορείας Abitionis, Profectionis titulo insigniri a-
scensio eadem potest non solum ex usurpatâ sapius
ante passionem à Christo formulâ Joh. 14. 2. 3. & 16. 7.
Sed & ex ipsâ peractæ ascensionis narratione, quæ
est Act. 1. 10. & 11. ut & 1. Pet. 3. 22.

XV.

Quod si igitur ascensionis vox, de scriptione
quâdam explicanda, ex scripturæ χειρονομία voces
hæ ejusmodi accommodari convenientissimè pos-
sunt: non opus est ut præter & extra scripturam al-
liæ adhibeantur, multò minus diverso significatu
substituuntur. Cavendum enim ne impingatur in
illud quod 1. Cor. 4. 6. discere jubemur, μή τις ὑμῶν
γλαυκῶτα φερεῖν.

XVI.

Subiectum cui actus ille ascensionis seu ἁπλοῦς
μετάστασις (ut eam appellat etiam Rungius Thes. VII. &
Winckelm. Thes. 12. uterq; in disp. publ. de Asc.) tribuitur, est
Christus: cui secundum eam naturam ejusmodi eve-
ctio & sublatio de loco inferiori in superiorem
competit, quæ finita est, & localiter mobilis, nimi-
rum secundum naturam humanam.

XVII.

Secundum divinam naturam, ut quæ infinita est,
& Psal. 139. 8. 9. ubique præsens, illa localium diffe-
rentiarum variatio propriè tribui ipsi non potest:
quemadmodum & cum Deus ab Abrahamo ascen-
disse dicitur Gen. 17. 22. non Deo propriè id tribui-
tur, sed quoad symbolum præsentis seu aspectabi-
lem

rem formam. Nam apparuisse Abrahamo ibidem di-
citur v. 1. hoc est aspectabili symbolo præsentis vi-
sus esse.

XVIII.

Itaq; cum de humana naturâ loquimur verè & se-
cundum scripturas dicemus, eam à loco hoc interio-
re, in quo nos versamur, ascendisse, assumptam esse,
separatim secundum locum statutam esse, (δὴ καὶ ἀπὸ)
sursum versus latam esse, elevatam, susceptam pro-
fectamq; esse: prout phras. illæ in antecedentibus
ex scripturâ ostensæ.

XIX.

Ac consequenter ex tali ascensione Christo secun-
dum humanam naturam verè competente, verè eti-
am dici potest, Christum secundum humanam natu-
ram non solum amplius non apparere nobis sed &
eundem secundum dictam naturam humanam lo-
caliter nos reliquisse, nobiscum non esse, in alium locum
se intulisse: Eo semper firmè credito, secundum natu-
ram divinam nobiscum eam esse usq; ad consummationem
seculi Matt. 28. v. 20. Nec relinquere eum nos orphanos Job 14.
v. 18. Sed in medio nostrum esse, ubi duo vel tres nostrum in no-
mine ejus congregati. Matt. 18. v. 20.

XX.

Quin etiam, (ne per consequentiam hic aliquid
scripturis aliàs ignotum inferri videatur,) cum ex-
pressis Christi verbis cōveniunt ejusmodi de Chri-
sto quoad naturam humanam loquutiones: dum i-
pse non solum post missum Spiritum Sanctum disci-
pulos non amplius se visuros, sed etiam non ampli-
us se,

us se in mundo esse & relinquere eundem se dicit,
in quem venerit, in quo cum discipulis suis fuerit.

Conferantur enim dicta.

Joh. 16. 10. σὺν ἐπιθεωρεῖτέ με,

Joh. 17. 11. σὺν ἐπι εἰμι ἐν τῷ κόσμῳ & v. 12. ὅτι ἤμην μετ' αὐτῶν
ἐν τῷ κόσμῳ

Joh. 16. 18. ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, πάλιν ἀφίμι τὸν κόσμον.

XXI.

Hinc non solum contra veræ propriæq; ascensionis consequentiam, sed & contra diserta Christi verba tendunt qui cū Brentio (in Recognitione, & c. p. 159.) de ascensu Christi ex monte Oliveti ita docent, quasi saltem clausula earum apparitionum sit, quibus se hactenus à resurrectione discipulis suis patefecerat: Dicuntque quod ascensu eo non significarit, se humanitate suâ, quam in unam divinitatis personam assumerat, deserere suos discipulos & eam inferre in cælum Empyreum, in quo corporaliter nunc sit (quid enim opus illis phrasibus, quod nunc stet, nunc sedeat, nunc deambulet, quibus Brentius utitur.) Quasi verò eo ascensionis actu id non significetur, quod eam, si vera est, necessariò consequitur: & significari per ascensionem id possit, quod ejus necessariis consequentibus, qualia sunt non amplius videri, non amplius adesse ac reliquisse mundum; penitus advertatur, nempe esse ubiq; , seu πανταπαρασσιον.

XXII.

Terminus ad quem seu in quem facta ejusmodi ascensio, seu ἀνάληψις, πορεία, ἀναφορῆ, cælum est. Nam Marci 16. 19. dicitur ἀνελήθη εἰς τὸν ἕρηνόν. Luc. 24. 51. ἀνεβέβη εἰς τὸν ἕρηνόν. Act. 1. 11. ἐθεάσατο αὐτὸν πορεύομενον εἰς τὸν ἕρηνόν. 1. Pet. 3. 22. πορεύθει εἰς ἕρηνόν.

23. Ter-

XXIII.

Terminum hunc localitè accipi omninò oportet, si ascensio ipsa propriè accipienda: ut disertè de ascensione fatetur, Rungius in Thes. VI & VII, cum ait: Historia ipsa diligenter à Lucà descripta ostendit Christum, & c. discipulis inspectantibus in cælum sublaturum esse: nec fuisse disparitiam, qualis describitur Luc. 24. ubi Christus mensâ assidens sit ἀφαντῶ aut inane & evanescens spectaculum vel phantasma: sed veram ac visibilem Translationem corporis Christi ex loco inferiori in superiorem, & τοπικὴν μετασυστῆσιν natura assumta.

Et Thes. II. Extra omnem controversiam hoc statuimus, Christum corpore suo per resurrectionē glorificato, ex monte Oliveti sursum evectū, paulatim de loco inferiori in superiorem sublaturum fuisse seu ascendisse, Winckelm. Profess. Giess. cum in disp. de Ascensione habitâ Anno 1606. post adducta dicta sacra de ascensione loquentia Thes. 12. inquit: Hec omnia ad literam intelligenda sunt de verâ & locali μετασυστῆσει & translatione, & c.

Ac terminum etiam visibilis illius ac localis ascensionis τὸν ἕρηνόν ingenuè vocat Rungius Thes. 12. quem Brentius magis occultare videtur, dum ascensionem in altum vocat. In recognitione p. 136.

XXIV.

Propriè enim accipi non posset ascensio seu evectio illa, si terminus ad eam specificandam ubiq; ferè in Apostolicâ commemoratione additus localitè nō acciperetur. Siquidem ascensio in id, quod locale non est, localis ac propria dici non potest: cū ascensio propria locum à quo & ad quem suâ definitione includat.

XXV.

Itaq; quomodocunq; accipiendum putetur vocabulum

B

cabulum

cabulum cœli, in structurâ hac localem rationem propriè includet: nec per significationem ullam, salvâ assertionem prius factâ *Tbes. 6.* & ex aliis approbatâ *Tb. 23.* poterit ita explicari, ut in structurâ hac localis ratio à voce cœli secludatur.

XXVI.

Porro in scripturis triplex cœlum locales terminos admittens potissimum designatur: unde & illa ternarii ratio à Paulo indicata. *2. Cor. 12. v. 2.* Primum est aëria illa supra nos regio: unde volucres cœli dicuntur *Psal. 8. v. 9. Matth. 6. v. 26.* Inde illa sideribus exornata, solisq; ac lunæ in se collocatione conspicua machina cœlum dicitur, ut liquet *Gen. 1. v. 14.* Tandem aliquod spacium, illâ machinâ superius, Paulo tertii cœli nomine innuitur: ob quam superioritatem fieri etiam intelligitur, ut aliquid vero corpore constans in eo cœlo constitutum dicatur *ὑπερφάνω πάντων τῶν ἔρανω* *Eph. 4. v. 10.* item *ὑψηλότερον τῶν ἔρανω*, *Heb. 7. v. 26.*

XXVII.

Tertium hoc cœlum gloriosissimum Dei habitaculum esse juxta scripturas creditur, atq; in eo beatitudinis æternæ plenitudinē beati obtenturi sunt, & jâ nunc obtinent quidâ cum morigerantib. Angelis: ad quam aliquâ ratione adumbrandam etiam Paradisus, cœlestis Jerusalem, Domus Patris, domus multarum mansionum, sinus Abrahamæ in scripturis appellatur: diciturq; *κληρονομία ἀφθαρτῶν, ἀμίαντῶν ἢ ἀμάραντῶν περιημερήνη ἐν ἔρανοῖς εἰς ἡμᾶς*, *Petr. 1. v. 4.*

XXVIII.

In tertium istud ac extremum cœlum tanquam ascensio-

scensionis terminū ascendisse seu ingressum esse Christum quoad corpus suum juxta scripturas dicimus. Nam. *Eph. 4. v. 10.* Christus dicitur *ἀναβὰς ὑπερφάνω πάντων τῶν ἔρανω*, *Et Hebr. 7. 26. ὑψηλότερον τῶν ἔρανω γενόμενος.*

XXIX.

Per reliquos cœlos eam translationem seu ingressionem factam ex *Heb. 4. v. 14.* liquet, ubi Jesus dicitur *διεληλυθώς τὰς ἔρανας*: quemadmodum vocis ejus usus claret. *ex Act. 12. 10.*

XXX.

Qui expressum illum in narratu Apostolico ascensionis terminum, modo dicto explicari posse aut debere inficiantur, partim figmenti meri in cœli illius Tertii appellatione orthodoxos accusant: partim aliud ipsi cœlum intelligi volunt, quod locales terminos ascensionis propriè dictæ sustinere nescit.

XXXI.

Prius fit cum tertium illud cœlum modò designatū, quod est locus certus non in hisce terris, sed distinctus à terris, ac longissimè ab eis remotus, distinctus & ab ipsis cœlis aspectabilib. & inferioribus, non ubiq; sed constitutus supra nubes & supra hunc corruptibilem mundum, imò supra omnes cœlos, Domus Dei patris habitatio, sedesq; Christi ac electorum ejus beata, divina, æterna, immensa splendida, spiritalis, corporea, & c. cum inquâ cœlum hoc, ita suis etiam verbis descriptum Brentius ait ab humanâ ratione & superstitione confictum & propagatum. in recognitione pag 138 edita Tub. anno 1564. Sic cum idem cœlum tertium Monachorum doctrinæ assignat Rungius *Tbes. 17.*

XXXII.

Sed cum scripturæ locum aliquem talem designent, non est, ut superstitionis effictionis aut Monachalis traditionis prætextu sententia præmissa repudietur.

XXXIII.

Ac Christus quidem ipse locum disertè appellat in quem fideles sint deventuri. *Joh. 14. 2.* in quem ascensus quoque etiam ipse & fidelibus præiturus.

XXXIV.

Ad eum locum, (si vel maximè ad alia, ut cum per sinum Abrahæ, *Lu. 16. 23.* per mensam, accubitus, cibum, potum, thronum innuuntur, quæ ibi futura sunt, *Matt. 8. 11. Luc. 22. 30. Matt. 19. 28.* posset) incassum excipitur, à similitudine rerum, quæ sunt in hoc seculo, fieri per translationem descriptionem beatitudinis aeternæ & cælestis: cum & translatio illa nihil impediatur, quo minus locus aliquis verus intelligatur & vel hoc ipsum cum translatione designetur, locum eum futurum & eminentissimum & convenientissimum & exoptabilissimum.

XXXV.

De eodem illo loco seu Beatorum πῦρ aut supercælesti beatitudinis sede scripturam tacere, nequicquam evincitur ex eo, quod est *1. Cor. 2. 9. & Esa. 64. 4.* Eo enim loco saltem naturalis sensus & rationalis indagatio & sensibilis perceptio eorum, quæ beatis præparata sunt, negatur: non negatur gratiosa revelatio in verbo facta, per quam omnino constare potest de iis, quæ præparavit Deus: quamvis auris nulla ea audierit, ante gratiosam Dei annunciationem; nec oculus ullus viderit aut visurus sit, ante ipsam ad illa transvectionem;

nec

nec cogitatio ulla assequuta sit (id enim est ascendere in cor) ante divinam ostensionem. Inde & disertè Apostolus subjungit *v. 10. ἡμῶν δὲ πικράλυσε.* & antecedenter, ἀλλὰ λαλῆμεν: Ubi & versu ipso nono verbum κηρύσσομεν ex auctoritate *Clementis Alex* qui ita citat hunc locum *lib. 5. Stromat.* suppleri potest.

XXXVI.

Quin sursum esse eum locum cum ex manifestissimâ ascensionis Christi in cælos historia patet, tum ex locis etiam scripturæ aliis idem claret. *Col. 3. 1. 2. Act. 7. 55.*

XXXVII.

Nec est ut de locorum intervallis non loqui Apostolus dicatur *Col. 3. 1. 2.* sed de vitæ curriculo. Ea enim inter se non pugnant, aut se invicem excludunt: sed subordinata sunt, & se includunt invicem. Quæ sursum sunt, ita non interpretatur Apostolus de justitiâ, sanctitate & veritate (ut vult *Rung. Theol. 25.*) ut non simul admittatur hoc, locum etiam illum indigitari, ad quem ex hoc miseræ & corruptionis loco si devenire exoptamus, ea nos vitare oportet, quæ mundi hujus sunt.

XXXVIII.

Cum τὰ ἄνω ζητεῖν *v. 1.* & φρονεῖν *v. 2.* jubemur, terminus ipse primò innuitur ad quem tendendum, inde & eorum cura demandatur, quæ ad illum & paratam ibi beatitudinem deducunt.

XXXIX.

Stephani visio *Act. 7. 55.* ita facta memoratur, ut satis firma sit ad arguendam beatitudinis sedem in superiore cæli parte. Dicitur enim de eo quod ἀπέναντος εἰς τὸν δεξιὸν viderit gloriam Dei, &c. Jesum stantem ex dex-

B 3

tris

tris Dei: (videns nempe eum ut advocatum, cuius est stare, non ut iudicē cuius est sedere, prout inter patres *Ambrosius*, aliiq; monent:) quemadmodum & de discipulis scribitur quod fuerint ἀπέναντες εἰς τὸν ἕρπον. *Act. 1. vers. 10.*

XL.

Frustra causatur quidam eam visionem in spiritu factam esse, & Christum visum stantem ex dextris Dei: cumq; dextra Dei, certus locus non sit non posse exinde superiorem illum ultra cœlos locum argui. Dicitur ita, in Spiritu facta hæc visio, ut Stephanus distinctim dicatur & πλήρης πνεύματι ἁγίῳ & ἀπέναντες εἰς τὸν ἕρπον viddisse, &c. Et phrasīs δεξιῶν τοῦ θεοῦ locum non significans per improprium usum, non facit ut & reliqua quæ præmittuntur impropria eò usq; fiant, ut locum nullum significant.

XLI.

Posterius (*supra thes. 30. indigitatum*) faciunt, cum cœli aliquod descriptant, quod ubiq; sit, nulloq; loco definitum, quodq; solummodo aut ex maiestate & gloria Dei æternâ & omnipræsente imperio, aut ex statu & conditione beatorum primariò & potissimum definiunt. At istiusmodi certè cœlum ascensionis propriè dictæ terminus esse non potest: quamvis maiestas illa & gloria divina ac omnipræsens imperium Christo verè competat, statusq; & conditio beatorum eidem modo eminentissimo tribuatur. Unde aut cœlum localiter spectatum hic admitti necesse est, aut negari illud, quod ascensio propriè hic accipiēda sit, vel quod cœlum sit ejus terminus qui tamen pluribus locis disertissimè expressus, ut liquet ex *Theo. 22.*

42. Sed

XLII.

Sed & noviter mira de cœlo quodā ubiquitario, cum proponi videamus, pro asserendo ulterius ascensionis veræ termino antè designato & ex scripturis approbato, non alienum fuerit paradoxa illa ad normam veritatis divinæ, hoc est, sacrâ scripturam examinare.

XLIII.

Paucis itaq; pleraq; percurrando, & initium à Beatorum cœlo faciendo: affirmatur quidem audacter accipi vocem cœli Theologicè & spiritualiter pro Beatorum cœlo, ita, ut illud πρώτως & κυρίως describatur per cœlestem statum & beatitatem. At hoc ipsum nullo scripturæ loco subjuncto ostenditur: unde & novatoria potius ejusmodi vocis usurpatio, quam Theologica & ex sacris literis depromta.

De cœlo
Beatorum.

XLIV.

Sed & hoc quid est, ut cœlum hoc ipsum per cœlestem statum πρώτως & κυρίως describi dicatur? Ni notior ac certa quædam cœli acceptio præcedat & πρώτως descriptioni huic conferat, obscurum est certè quid cœleste dicatur. Adeoq; descriptio ista sine suo excidit, hoc est, cum per eam res manifestior intellectui fieri deberet, obscuritatis ferè plus per eam acceritur, quàm cispellitur.

XLV.

Contra si supremam illam & extremam orbis universi sedem, quæ tertium cœlum dicitur, quæ supra omnes cœlos aspectabiles, ad quam Christus ascendendo & mundum relinquendo pervenit, ubi fideles suos etiam esse Christus vult, ubi dabitur Deum videre à facie

facie ad faciem: 1. Cor. 13. 12. cœli voce intelligo, annon discreta satis animi conceptione & ex sacris scripturis deprompta, intelligere est & quid cœleste & quid cœlestis status sit?

XLVI.

Facta ita à scripturarum usu in ipsi vocis cœli usurpatione, secessu, ulterius progredi non ita pridem, est quidam ausus: ut nihil metuens religiosarum aurium & oculorum offensionem disceptarit & scripturavit, ex sacris literis firmiter & Apodicticè demonstrari non posse cœlum Beatorum creatum esse.

XLVII.

Equidem firmiter id demonstrari (si non Apodicticè ob logicis peculiarem ejus voculæ usum dicendum) non ambigunt pleriq; omnes, qui sanæ mentis oculis scripturas legunt aut auribus penitus non obthuratis easdem audiunt.

XLVIII.

Ac primò quidem si Beatorum cœlum pro cœlesti conditione & statu accipiatur, cogiteturq; Beatitudo, qua à Deo per modum ἀπορίας obventura est, (quo referuntur loca, Esa: 60. 19. 20. Ap. 21. 23.) tum Beatitudo illa spectabitur aut ex parte Dei aut ex parte Beatorum. Si priore modo spectetur, ut Beatitudo objectiva h. e. objectum beatitudinis, beatum faciens intelligatur, tum à Deo non aliquid verè distinctum esse ipsa statuitur, sed hoc saltem in ipso Deo per relationem aliquam mens nostra apprehendit, esse Deum objectum Beatarum mentium suâ supereminenti & ineffabili excellentiâ eas summè perfecturum: esse Deum causam efficientem & immediatam gloriæ & felicitatis piorum.

An cœlum Beatorum esse creatum firmiter ex sacris literis demonstrari possit.

XLIX.

At quâ facilitate negari tum potest, cœlum modo tali dictum & explicatum esse creatum, eadem etiam jam negare licet in sacris literis tale aliquod cœlum πρώτως ἢ κρείως describi. Si cui placet πλατωνίζειν, ex Epinomide pro Deo cœlum dicere fortè poterit: sed quid cœlum Theologicè dicatur ac spiritualiter hoc loco spectandum est. Sanè Apoc. 21. 22. 23. Deus dicitur futurus non ipsa civitas, sed in civitate, in quâ Templi, Solis, Lunæ vicem respectu illo causali ac objectivo suppleturus est.

L.

Si posteriore modo ex parte beatorum spectetur illa Beatitudo, quatenus designatur id, per quod formaliter Beati tales esse dicuntur, ut per modum qualitatis in iis sit concipienda, nemo certè eam à creatione divina secundum scripturas eximet: nisi ob peculiarem creationis modum, ipsam creationem inficiandam absurdè autumaverit.

LI.

Secundò cum pro cœlesti Ubi Beatorum cœlum accipitur, idq; in confesso est non esse illud infinitum, sed finitum, esse etiam illud ab infernali πῦρ distinctum, frustra de locis quibusdam scripturæ abnuitur, quasi ex illis non clareat creatam esse beatorum sedem.

LII.

Loco Gen: 1. 1 hoc non firmari temerariè asseritur. Postulatur ut analyticè probetur voce cœli Mosen cœleste & gloriosum beatorum Ubi intellexisse, inq; eo, quasi satisfecerit parum, Pareus accusatur: Sed si Pareus (Col. 113. 114. in Comm. in Gen.)

Gen)probis oculis videatur, evidens est, non posse, non comprehendi cœlorum (סמשי) nomine illud Beatorum cœlum.

LIII.

An hoc petere principium est, aut ὁμωυμίας ἔλεγχον committere, si primo ostendatur disertis scripturis cœlum Beatorum esse rem creatam, ac inde etiam evincatur universariâ omnium creaturarum per cœlorum terræq; appellationem designatione à Mose factâ, sub cœlorum nomine etiam Beatorum cœlum comprehendid quod facit Pareus.

LIV.

Ac locus ille Gen. 1. an huc non faciet, si seriò affirmatur, esse cœlum Beatorum finitum, esse ab infernali πῆ distinctum, quū generali illa cœlorum terræque appellatione omnia & creata & finita comprehendantur?

LV.

Quod materiatum esse cœlum Beatorum pernegatur, id ni probeur, tam nobis liberum affirmare quam aliis negare: sed & materiatum non esse nihil impedit, quominus aliquid creatum sit: nisi vel Angelos dicere increatos velimus, quos tamen ex materiâ & formâ compositos non esse non pauci asserunt.

LVI.

Quos Moses Gen. 1. v. 8. Cœlos ex aquosâ materiâ productos appellat, eosdem & non alios versiculo primo nomine illo denotari an credere indubitato oportet, si qui est qui id affirmat?

LVII.

Ad locum 1. Cor. 2. 9. aliud præparare aliud creare esse εἰκὴ vegetur. Nam si de re finitâ atq; à Deo distinctâ (quale est Beatorum cœlum) agatur, per præparationem, ut & decretionem seu destinationem, ita creatio negari non potest, ut præparatio seu destinatio illa creationem potius arguat, ac præsupponat.

LVIII.

Inde nec ex locis Job. 14. 2. & Matth. 25. 41. (ubi vox præparationis etiam, sed & in priore loco, peculiari modo, obvenit) quicquam afferri potest, per quod cœlum Beatorum à creatione jure eximi possit, aut etiam in loco 1. Cor. 2. 9. ad eandem non referri intelligatur.

LIX.

Vox פשע (qua Esa: 64. 4. usurpata reperitur) latior ipsâ voce נרד ut ut sit, & per ποιῆν quidem sæpissimè apud LXX reddatur usu variatissimo, bis saltem per πλατῆν Job. 10. v. 9. & Esa. 29. 16. per κτίσειν non nisi semel Esa. 44. 2. (seu juxt. Trem cap. 43 17) si tamen finitæ rei tribuatur, significationem פשע non excludit, sed vel maxime includit, & eidem sæpè æquipollet. Unde & mox usu venit Gen. 1, 2, 16, 25, 26, 31, & 2, 2. ubi generaliter omnibus accommodatur quæ cœpit Deus creare seu facere, & quievit ab omni opere suo, quod fecerat (פשע רשע) dicitur.

LX.

Sed quid si Esaias, de Beatorum cœlo loquens ulterius, consulatur, capite nimirum 65. v. 17. an quicquam vel apud obstinatum animum valuerit illud quæsitum in voce פשע κρησφύγιστον? annon ipsa vox נרד de

de Beatorum cœlo etiam usurpata reperietur, ut manifestæ scripturæ phrasi sit contrarium, si cœlum Beatorum negetur esse creatum?

LXI.

In loco *Matth. 25. v. 34* τὸ δὲ κατὰ βολῆς κόσμος inaniter eluditur per negationem notati definiti principij creationis, cum satis manifesta sit vis verbi ἐπιμαΐζειν quando de rebus finitis usurpatur. Nec si Bulligerus alicubi ait parasse Deum locum seu mansiones fidelium ab exordio mundi, ordinando ac prædestinando: idem mox negat, aut simul hoc intelligi vetat creando, etiam paratum illum locum esse à Deo.

LXII.

Locus *Hebr. 11. v. 10*, ubi expectata ab Abrahamo civitas, τῆς τῶν ἡμελίων ἐσχάτης, hoc est, fundatissima & constantissima, τεχνίτης καὶ δημιουργός ὁ θεός appellatur, οὐκ ἀμαχῶς infringitur per id, quod quo sensu cœlestis beatitudo Urbis nomine veniat, eo ἔ τεχνίτης καὶ δημιουργὸς voces veniant. Nec enim improprio sensu verbis illis attributo, id tollitur, aut non intelligitur, quod creator sit Deus illius civitatis, sed hoc vel maximè significatur. Quamvis & ex una voce tropicè in aliquo contextu accepta, alia etiam mox tropicè accipienda, gratis arguatur.

LXIII.

Christianis piisque certum est, quoties nomina operas humanas notantia Deo accommodantur, qualia sunt illa τεχνίτης καὶ δημιουργός, tum id de Deo significari quod creator sit, utut figuratè voces eæ de Deo dicantur.

LXIII.

Loci, *2. Corinth. 5. v. 1.* (οικοδομὴν ἐκ θεῶ ἐχομένη, &c.) explicatio quemadmodum ex præcedenti, *Hebr. 11. v. 10.* invalida enodatione deducitur: ira ex ejusdem etiam assertione modo facta facillè ostenditur & intelligitur, non excludi per illum id, quod est in quæstione.

LXV.

Et tropo nullo explicare οικοδομὴν ἐκ θεῶ, &c. ira licebit, quin illud tamè vi verborum eorum usque intelligatur esse Deum illius receptaculi, illius πῆ, gaudii que, & gloriæ in eo creatorem: cum οἰκία ἀχειροποίητος αἰώνος gaudium illud & gloriam ita notet, ut simul significetur fore locum illum convenientissimum, fore sedem eam talem, qualis nulla manuum opera confieri possit, qualis ab eo solum fabrefieri potuerit, qui verbo creare potest, non manuum ministerio opus habet.

LXVI.

Argumentum ex divisione Entis adhiberi hic solitum nullam exinde enervationem experitur, quod enunciaturum illud, Quicquid est aut creator est aut creatura, limitetur quoad substantiam verè & realiter subsistentem. Quod enim dubitatur an cœlum illud sit substantia talis, temerarium est, siquidem urbs est fundamenta habens, Deum, τεχνίτην καὶ δημιουργόν habens, βασιλεία est ἡτοιμασμένη ἡμῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Quæ ipsa tropicè etiam accepta talia sunt, ut veram realemque subsistentiam cœli facillè cuius probare possint, cui non libitum fuerit, somnia præferre manifestis scripturis.

LXVII.

Id plusquam temerarium, quod dubium videntur an aliquid realiter & substantialiter diversum seu distinctum sit à Deo & Beatis illud Beatorum cœlum. Si enim id statueretur, quî intelligere licebit hominem ad aliquid perventurum, in quo propriè & formaliter in se beatus dici debeat, aut à Deo aliquid in hominem preventurum, quod homini antè defuerit, ut nec beatus dici potuerit?

LXVIII.

De gloriâ ortâ ex aeterno (nempe absque fine futuro) Dei aspectu, quatenus nimirum Deus ipse objectum illud excellens & beatificum futurum cogitatur, jam antè, visum: nec hoc loco quæritur. De πῶς quod substantiale Ens aliquid sit ac distinctum à substantiâ Beatorum, ex modò dictis satis constare potest. Nec sequitur exinde Beatos gloriosè in Deo non ἀμέσως sed ἐμμέσως fore, ac per tertium: cum Beati in Deo sint, non ut in loco, sed ut in causa sustentante, conservante, illuminante, & dirigente, 1. Cor. 15. 28. Certè ob locum non tollitur immedietas causalis ac fundamentum proximum ejus conjunctionis, qualis inter Deum & beatos futura creditur.

LXIX.

Adducuntur in contrarium rationes nonnulla, quibus nempe probetur cœlum Beatorum non esse creatum: sed ut id probent, longius absunt. Nam 1. Quod cœli interituri dicantur, id ad omnes in universum extendi non potest, sed ad eos saltem qui aspectabiles. In loco, 2. Petr. 3. v. 10. 12. ex ipso Textu manifestum de quali cœlo agatur

gatur, nimirum quod *Empactis* notum, ut liquet ex v. 5. Et v. 7. dicitur οἱ ἡὼν ἕσονται, ut satis perspicuè notentur cœli qui aspectabiles sunt. Sic *Apoc.* 20. 11. & 21. 1. Terra hæc & aspectabile cœlum intelligitur. Quod *Luc.* 21. 33. dicitur, per comparationem explicari potest, Quod *Psal.* 02. 27. & *Esa.* 51. 6. de cœlis veterascentibus & evanescentibus proponitur, ni & id comparatè explicari libuerit, aliter tamen explicari poterit, quàm ut per perditionem & interitum illis locis indicatum, abolitio in nihilum intelligatur: prout videri potest apud *Hieronymum* in *Esa.* cap. 65. ubi plures explanationes eruditè congecit, ut faciliè appareat, nec substantialem *Φθορὰν* aspectabilium cœlorum solidè asseri.

LXX.

2. Beatorum cœlum dicitur novum *Esa.* 65. v. 17. 2. *Petr.* 3. 13. *Apoc.* 1. 1. non quod tum demum existentiam suam sit consecuturum, sed respectu nostri, qui tum pervenimus ad id, in quo antè non fuimus: videbimus id, quod antea nunquam vidimus: qualia cum obtinunt nobis, nova dici vulgatissimo usu solent. Et novum scripturæ usu idem, quod aliud ac diversum significare frequenter, itemque pro mirabili ac miraculoso poni *Flacius* in *Clav. scriptur.* & *tract. de Serm. Sacr. litterar.* eruditè notat: quo sensu etiam cœlum illud novum dici locis citatis potest. Et notari potest, quod in illum *Esaie* locum non nemo habet: Promittit Deus tantam tanquam inopinatam tribulationum & angustiarum mutationem in improvisa liberationis ac restitutionis felicitatem, ut propter novam rerum faciem cœlum novum terraque nova, hoc est,

est, novus quidam mundus esse videatur. Sic solet accidere afflicti & angustiati, ut ubi velut ex inferis tribulationum suarum liberati, inque lucem meliorem rerum asserti fuerint, putent se non idem cernere cælum, quod in tribulationibus viderant: sed prorsus immutatum ac novum, terram item novam & omnia nova, quamvis nihil sit in cælo nec in terrâ mutatum. Sic dicit hoc loco quia oblivioni tradentur angustia priores.

Quare & quomodo? quia inquit ecce ego creabo cælum novum & terram novam & non erit recordatio priorum nec in cor ascendent. Hoc est, quia ecce tam amplam creabo felicitatem, tamque juvenundam mutatarum rerum faciem, ut ipsum cælum & ipsam terram innovasse, adeoque novum mundum creasse videar, &c. Repudiari explicatio ea tantò minus meretur, quanto illa eidem similior seu cognatior, quam habet Hieronymus, cum in hunc locum inquit. Possimus & hoc dicere, quod conversi ab idololatriâ, & pristino errore deserto, novos cælos & novam terram videant: nequaquam arbitran-tes elementa Deos, & ea qua nascuntur ex terrâ. Nunc confitemur cælum & terram esse opera manuum Dei illo autem tempore servos & creaturam venerabamur obsequio Dei, &c.

Sed ipsa hæc Phrasi Beatorum cælum denotari cum datur, mirum qui ex eo inferri debeat, cælum beatorum non esse creatum, cum Deus diserte hic CREARE illud dicatur, usuveniente hic voce כרא, ut subterfugium in voce פשע haberi nullum possit, quemadmodum & illud ante repudiatum & detectum, thes. nimir. 60.

LXXI.

3. Absurda, qua de inferno itemque medio communicationis divina, ad infringendum hoc, quod cælum Beatorum

rum sit substantia quædam creata, adducuntur, partim nulla sunt, partim non sine consequentiæ vitio ex sententiâ orthodoxâ deducuntur. De posteriore, nempe medio divinæ & beatificæ communicationis, jam ante ex thes. 68. constare potest. Prius quod attinet, de inferno, quod nimirum sequatur, eum esse etiam creatam substantiam à Diabolorum substantia realiter distinctam, absurdum, verè non est. Quid vetat dicere substantiam aliquam, locum cruciabilitatibus obsitissimum? Cū Matt. 25. v. 41. de igne parato (ἡτοιμασμένω) Diabolis atque angelis ejus diserte Salvator moneat. Quod diaboli paratum id utique à substantia eorundem realiter diversum. Ac quantumvis figuratè accipiendum dicatur, quod ignem appellat Christus, non tamen imaginarium quiddam, aut accidentale & à substantiâ diabolorum & damnatorum non diversum intelligi debet.

LXXII.

Quod si quid realiter distinctum non est infernus à substantiâ Diabolorum & damnatorum, cur legio illa dæmonum, Luc. 8. v. 31. expetit in fues potius irruere, (Nam ἡ ἀρχὴ αἰώνων ἐπιπέσει ἐν αὐτοῖς εἰς τὸν ἄβυσσον ἀπελθεῖν) quàm abire in certum definitumque & jam tum existentem locum, qui ἄβυσσος vocatur. An imaginarium, aut ubique sibi præsens supplicando declinare laborasse ea legio cogitanda est?

LXXIII.

Equidem ut fur suum circumferre patibulum dicitur, ita suum etiam diabolus circumferre Tartarum dici potest. Sed non ita inferre licet, à substantiâ diabolorum nihil esse realiter diversum Tartarum aut

D

in-

infernum. Loquendi enim genus Tropicum ac figuratum non tollit id, quod res est proprie. Dicitur patibula circumferre in animis rapax illud hominum genus; sed exinde non argues, non esse certa loca patibula, ubi fures longam constituent literam. Sic diabolus suum infernum quamvis circumferre dicatur, non tamen arguere licebit, locum reverâ nullum esse, qui eo nomine proprie designetur, & ipsis tandem instar carceris sacer fiat.

LXXIII.

De locis 1. Corinth. 2. v. 9. & Esa. 64. v. 4 qui hic urgeri solent jam supra visum *thes.* (35.) quæ si reperantur & probè cogitentur, nullius temeritatis cenleri jure poterit, quod de Beatorum cœlo & damnatorum inferno aliquid dicatur. Cum scripturis enim licet etiam de iis aliquid pronunciare, quæ nec oculus vidit nec auris audivit, &c. hoc est, nec sensu cognita, nec ratione indagata sunt, aut cognosci vel indagari potuerunt.

LXXV.

An cœlum Beatorum Marbachius aut Rungius creaturis accenseat privatâ quâdam opinione, & probabili saltem estimatione, sine mordaci defensione, ac non omisâ adversus alios contradictione, parum interest: cum scripturas sequi volentibus sententiam satis certam & planam habere, hic liceat: & mordaci contrariæ opinionis defensione, perpetuatâque illâ contradictione parum proficiatur in Christi regno, expetita verò & desiderata fraternitas usque aliis denegetur, & demandatissimæ nobis à Christo charitatis amica ac placabilis professio ad omnimodam quandam opinionum ac sententiarum (quam

(quam tamen ad salutem absolutè necessariam in quibuscunque quæstionibus nemo jure dixerit) harmoniam ac consensum suspendatur ac differatur.

LXXVI.

Hæc extra criminationem ullam: de eo, An cœlum Beatorum creatum quid sit. Id ulterius asseritur ab aliis, *Beatorum cœlum corpus non esse.* Esse verò illud cœlum corpus aliquod inficiari nituntur, per absurdas quasdam consequutiones, quæ revera tales non sunt.

LXXVII.

Quid enim absurdi *Angelos esse in corpore aliquo*, si illud longè est ære, in quo nos degimus, depuratius, & spiritali substantiæ vicinissimum? *An indigentia loci ejusmodi ad Angelorum subsistentiam* ita arguetur, ut non potius sedes Beatitudinis æternæ, & manifestationi gloriæ Dei aptissima per inexhaustam Dei benignitatem & imperscrutabilem sapientiam, infinitamque potentiam & constructa & destinata agnoscat? An Beatorum mentibus objectum visionis, causamque gloriæ & felicitatis proximam, esse locale aliquid prohibebit? aut ipsum mox objecti causæque loco habendum fuerit?

LXXVIII.

Et infernum corpus esse creatum dicere absurdum an fuerit? scilicet regiæ inter homines prudentiæ fuerit carcerem struxisse, quo petulantia coerceatur: & à sapientiâ divinâ alienum omninò, aut illi planè non conveniens censebitur, locum struxisse in universi conditione, qui immorigeris angelis & gratiam respicientibus hominibus deputeretur, cum vel id docere Salvatorem audiamus *Matt. 25. v. 41.*

LXXIX.

Caelestem alterius vita statum propterea corporaliter describere nihil opus est, cum ille ex visione praesentissima & fruitione beatificam potissimum ætinetur: & in loco aliquo corporali hoc fieri nihil impediatur, potius ob corpora beatorum vera oporteat & conveniat.

LXXX.

Aliquod corpus prater humanum corpus futurum post hanc vitam aeternam dicere ita non est absurdum, ut scripturae vix videri possimus non contradicere, si illud inficiaremur: cum secundum eas ομοδομή nostra ἐκ θεῶν, οὐκία illa ἀχρηστών & αἰώνιαι dicatur. 2. Corinth 5. vers. 1. cum de aspectabili caelo ac terra secundum scripturas non constet, ea per annihilationem tandem cessatura. Et plerique omnes de caeli terraeque mutatione ita sentiunt ut dicant, eam mutationem non futuram esse abolitionem in totum. Non omnino transibunt, sed mutantur: abijcient vestimentum corruptionis & induent vestimentum novam incorruptionis. vid. Brent. in Luc. c. 21.

LXXXI.

Dei manus propterea non corporalis, si caelum Beatorum, quod corpus. Nec enim quod de manu Dei dicitur Sap. 3. v. 1. Luc. 23. v. 46, ad caelum Beatorum ita accommodandum est, ut aliud esse nihil ipsum putetur. Phrasi illa MANUS DEI cur non distinctim intelligere liceat, certissimam animarum ab emigratione e corpore, conservationem, & tutissimam easdem ad beatitudinem supercaelestem transferendi potestatem? Ac ut verbo dicam, Tutelam Dei & misericordiam? Psal. 31. vers. 6.

82. His

LXXXII.

His itaque perspectis, evanescit illa, quae obiectatur Zanchio absurditas: quod de caelo asserat part. 1. de operib. Creat. c. 4 q. 2. Locum illum caelestem esse locum substantiam suam corporeum, sed qualitatibus ac perfectionibus divinis divinam ac spiritualem. Et tanto valentior est illa Zanchij assertio, quanto illud ex antecedentibus certius, esse illud caelum substantiam creatam.

LXXXIII.

De Timplero nihil est ut laboretur, sive Zanchio sive aliis contrarius sit hac parte. Ejus auctoritate nec stamus nec cadimus. Potius mirari oportet, quo raptore noviter quendam contradicendi libido in hoc negotio potuerit, ut Timplerum adigere conitatur, quo materialum faciat caelum, cum ipse proposuerit sibi, ostendere, caelum illud non esse corpus? sed libitum, fuit extra oleas vagari, nobis sequi vagantem non libet.

LXXXIIIIF.

Porro caelum Beatorum non esse supra hos aspectabiles caelos, si vel per caelestem statum & conditionem id describatur, nullius momenti rationibus arguitur. Quod enim caelum descriptione talis caelestis qualitas sit & conditio, non corpus, eo non fit, quo minus & qualitas illa ad locum superiorem secundum plenitudinem & ipsum fontem sancita esse statuatur: Ni forte quicquid qualitatis modum habet, vagum fuerit putandum ac ubicuarium: ut ne dicam qualitatem, quae ab subiecto loco nominatur, & nomen ab eo quasi specificum sortitur, ad subiectum illud radicaliter per naturalem rationem referri.

An caelum Beatorum supra hos aspectabiles caelos locali situatione.

LXXXV.

Quod Angeli in cœlis, quando in terris ministrant hominibus, nihilominus videant faciem patris cœlestis; atque ita in cœlo simul sint, cum in terrâ sunt, ex loco Matth. 18. v. 10. non constat aut evincitur necessariò. Eo enim loco de ministracione Angelorum in terris nihil expressè dicitur, saltem Angeli puerorû dicuntur in cœlis videre, semper faciem patris in cœlis: nulla mentio ministracionis in terris. Sed & posito, innuit eo loco angelos in terris quoque versari (ut exemplis aliis constat) an visio Angelica illustris adeo esse nequit, ut vel è terris in cœlos pertingat, cum præsertim de Stephano quid scriptum sit, notum sit? Act. 7. v. 55. Quin & facies Patris in cœlis ita non accipiendâ, ut non ubique videri possit ab angelis, siquidem Phrasi hâc obsequiosa Angelorum promptitudo notatur & præsentia Dei jucunda, fruitio, quemadmodum phrasin eam ex Psal. 123. vers. 2. Ps. 103. v. 20. 21. 1. Reg. 10. v. 8. intelligere licet.

LXXXVI.

Quando prædicatur verbum Dei, tum Regnum Dei est in nobis seu inter nos Luc. 17. v. 21. Non sensu eo, ut nihil aliud post prædicationem & ejus acceptationem expectari cogitetur ac in fine seculorum obventurum sit, sed quod ejus jam tum certa & indubitata spes nobis fieri possit, quod futurum est. Adeoque non licet hic regnum Dei pro ipso cœlo accipere, aut asserere regnum Dei aliud nihil esse quam cœlum. Nec certè Bullingerus cum ser. 8. de symb. ait, cœlum ea significatione, qua nimirum beatorum domicilium denotat appellari regnum Dei, regnum Patris, Gaudium, &c. idem dicit cum eo, qui inquit, Regnum Dei

Dei quid aliud est, quam cœlum. Quin ipsa verbi prædicatione τὰ ἄνω ζητεῖν jubet, καὶ φεγεῖν, ut faciliè æstimare sit in superioribus nobis repositum esse illud, quod consecuturi sumus tandem.

LXXXVII.

Credentes in hac vitâ sæpè perfunduntur lætitiâ, virtute ac gaudiis venturi seculi Hebr. 6. v. 5. (καλὸν γινώσκουσιν ἡμῶν ῥήματα καὶ δυνάμεις τῶν μέλλοντων αἰώνων.) At inde ne sequitur, gaudi ac beatitatis non gustum aliquem sed plenam ac perpetuam participationem & possessionem, hæreditatemque illam ἀμίαντον, ἀμαράντων ἀφθάρτων, non asseruari nobis in cœlis & loco extra mundum hunc?

LXXXVIII.

Petrum, Johannem, Jacobum, in Christi clarificatione in monte Thabor sentientes cœleste gaudium alterius vite Matth. 17. v. 4 in cœlo fuisse, quod fideles avidè præstolantur, & sub Christi reditum introibunt, nemo pius faciliè dixerit, qui agnoscit saltem imaginem ac simulacrum futuræ gloriæ & claritatis tum fuisse spectatum.

LXXXIX.

Cum ipsum πῦρ cœleste per Beatorum cœlum intelligitur, nec illud supra hosce aspectabiles cœlos esse, ex eo negare licet quod scriptum est, 1. Corinth. 2. vers. 9. Esa. 6. v. 4. ut visum supra.

XC.

Cœlum illud de quo Paulus 2. Cor. 12. v. 2. 3. memorat, Tertium, supra & ultra aspectabiles cœli orbis situm esse, inaniter ex eo negatur quod ignoravit raptum sui per aërem & immensa cœlorum spatia. Id enim ignorasse nusquam scribitur, sed hoc saltem ait, in corpore an extra corpus

pus fuerit se nescire, cum quidem expressè profiteatur raptum in tertium cœlum usque istum fuisse hominem. Ignoravit animæ cum corpore constitutionem, non hominis illius locationem unde & tertium cœlum, tanquam locum minime ignoratum, & superiorem, raptus sui terminum designat.

XC I.

Moses & Elias è cœlo Beatorum descendisse in montem Thabor nusquam scribuntur, apparuisse saltem dicuntur, Matth. 17. v. 3. Inde nec necesse est, ut firmamentum his penetrarint aut ter. Sed è firmamento descendisse si dicantur, absurdè nihil exinde inferitur, quod in cardinalibus linguis firmamentum à soliditate ita sit dictum. Ex Hebræâ enim linguâ & voce עִרְוָה an soliditas argui possit satis notum. Græca aut latina versio si Hebrææ æquiparetur hac parte, errabitur non parum.

XC II.

Quæ adducuntur ulterius ex sacris literis hoc nomine, quasi ex iis constet beatorum cœlum non esse superius locali situ, levia æquè sunt, ut antecedentia, pleraque etiam ferè eadem. Nam *1. Mosè & Eliam fuisse in clarificatione simul in monte Thabor & cœlo beatorum* è scripturis non probatur. *Pro delirio haberi non meretur si deseri ad tempus posse beatæ sedes dicatur, beatitate non deserta. Quin hoc facilius assequi licet, quam illud, ut sedes ea nusquam relinqui posse cogitetur, quæ esse, nunquam cogitari potest qualis esse fingitur, dum cœlum illud superius negatur.*

XC III.

2. Angelos, cum in terris ministrant hominibus, in suo celesti πᾶ

sti πᾶ esse, affirmatur quidem, non probatur. Sed nec probari id poterit, dum aliud πᾶ in cœlo, aliud in terrâ omninò ipsis competit, nisi loci variationem aliquam contra omnem rationem effingere libeat. Ubi hic & illic distingui potest, ubi etiam distinctum πᾶ, seu Ubi, deprehenditur.

XC IIII.

3. Ex igneo curru Elia ex 2. Regum. 2. v. 11. & 16. 17. ac equis igneis, qui probetur cœlum Beatorum non esse superius non video, quamvis per catachresin Angelum suum perpetuo circumferre cœlum dicantur. In cœlo enim simul fuisse istum igneum currum, equosque eos, cum è terrâ Eliam sustollerent, cum Elisæum in terrâ defenderent, rusticis persuadeatur, si potest: piè eruditis ex scripturis nunquam persuasum debetur.

XC V.

Quæ insuper adducuntur angelorum exempla nihil ad rem faciunt. In istis historiis, semper in certo aliquo loco Angeli fuisse memorantur. At fuisse etiam simul eisdem tum in cœlo frustra statuitur, dum nusquam scripturæ hoc testantur. Non additum exemplum, ubi Angelus descendisse de cœlo narratur. (Matth. 28. v. 2.) haud dubiè propterea, quia in eo permansisse tum minus vel cogitari potuisset.

XC VI.

Si Beatorum cœlum supra esse statuitur, non sequitur necessariò infernum huic cœlo è diametro oppositum esse infra locali situatione, sed locus ille quacunquè ratione definiti potuit à Deo.

E

Sed

XCVII.

Sed & infernum infra non esse locali modo, hautquam probatur. 1. ex eo quod Diaboli dicantur semper esse infra in inferno non tamen locali situatione. Hoc enim unde probatur? aut quo jure tanquam certum & indubitatum ponitur? Exinde certe id nondum constat, quod memorentur venisse in medio filiorum Dei Job. 1. 6. quod videantur annumerari exercitui Dei, 1. Reg. 22. 19 quod dicantur constitisse coram Domino. ibid. v. 21. quod appellentur πνευματικά τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπιγενομένοις Eph. 6. v. 12. &c. An per ἐπιγενομένα intelligi nihil convenit nisi cælum? Omnia hæc satis verè intelligi possunt, & tamen semper simul cogitari, certum ac inferiorem esse locum infernum, nec diabolos semper esse in eo, cum præsertim videamus, eos rogando declinare ab itum & ingressum in Abyssum, ac præexpetere irruptionem in suos Luc. 8. v. 31. 32. quod qui factum fuisse dicatur, nisi Abyssus seu infernus certus sit locus & diabolis etiam extra illum pro indulgentia Dei esse liceat, vix intelligitur.

XCVIII.

2. Nec ex eo probatur, infernum non esse infra locali situatione, quod spacium circa terra centrum non sit amplum, infernum verò oporteat esse locum amplissimum. Non enim definitur circa centrum terræ quædam angustia, dum infernus infra esse dicitur, nec ipsum centrum terræ pro loco inferni designatur, sed tantummodò locus quidam inferior esse dicitur. An verò amplitudo spatii denegabitur inferno si locus inferior esse dicatur?

99. 3. Nec

XCIX.

3. Nec ex eo probatur, quod futura sit quædam sub-lunarium omnium conflagratio, ut ad infernum ea etiam extendenda videatur, & Evangelij loco Diabolis & impiis futura. Ea enim conflagratio si vel maximè circa centrum terræ abyssus statuatur, Satanæ ejusque sociis non ita lætum esse nuncium posset, quin vel ipsi exquisitissimis cruciatibus, simul se ita exponendos cogitent, & tanto horreant magis, quanto flamma in ipsorum cruciatus perennatura magis cogitari potest, cum πῦρ ἀνώγει paratum ipsis esse dicatur. Matt. 2. v. 41.

C.

Regula de voce INFRA, quæ in sacris literis dicitur esse fundatissima, universalis non est, aut ita accipienda, quasi locus quidam inferior simul in quibusdam non intelligi debeat. Et Miseria spiritualis & loci inferioritas non pugnant, sed concurrere maximè possunt: ut à miseriæ positione atque affirmatione, ad loci negationem seu remotionem argumentari nihil conveniat.

CI.

Carnales & temerarij tum proclamabuntur non injuriæ alij, si Beatorum cælum tantum loci altitudine defini-erint. Quod dum non faciunt, qui sectario nomine usq; perstringuntur, temerarius, ne dicam injuriosus in eos est, qui & hoc de ipsis, si non expressâ particulâ tantum, eâ tamen quasi subintellecta affirmare & propalare audeat, & ex allegatâ mutilatâ sententia nescio quibus absurditatibus eos onerare tagit.

E 2

102. An

C II.

An altitudine locali tantum definitur cœlum Beatorum, cum Zanchius libr. 1. de op. creat. c. 4. qu. 1. t. h. e. s. i. n. hanc habet? Cœlum Beatorum tum Angelorum tum hominum, in quo futuri sumus cum Christo in sempiternum, domicilium est felicissimum, civitas ac regnum amplissimum, supra hos omnes aspectabiles ac mobiles cœlos, à Deo fabricatum, collocatum, & firmatum. Et postea q. 3. hanc etiam subjungit. Cœlum Beatorum est locus, quoad substantiam nulli obnoxius corruptioni, alterationi, passioni, motui: quoad quantitatem omnium locorum maximus & amplissimus est; quoad qualitates omnium lucidissimus ac verus ὄλυμπος & jucundissimus, pulcherrimus, amenissimus: denique talis in quo nihil mali metui, nihil boni desiderari potest: ac proinde omnium suâ naturâ felicissimus. Felicius verò quod in eo Deus facie ad faciem, ut scriptura loquitur, sese visendum præbet mentibus humanis & spiritibus Angelicis. Christi autem caro splendidior solè ipsis etiam oculis nostris spectabilis futura est. Hæc Zanchii verba. De causâ integrè non expressâ & memoratâ, qui pronunciare iudex audeat, iniquitatis notam vix declinabit, si res seriò & religiosè expendatur.

C III.

De Beatorum cœlo in hac vitâ nihil expressè, non universim, sed extra scripturas qui definire se posse ajunt, illi demum faciunt quod facere Christianos decet. An vero exemplo Pauli nihil expressè universim definire de eo liceat, ita merito dubitatur, ut nondum constat, ubi exemplum istud memoretur. Quod 1. Cor. 2. v. 9. nihil expressè definire fortè videatur, tantum abest, ut potius aliquid expressè & definiat, & prædicet,

dicet, ut è supra monitis de eo loco animadvertere est.

C IIII.

Quod ait quispiam melius esse hæc in parte piè dubitare, quàm temerè aliquid definire, cum ipse de Beatorum cœlo disertè asserat, non esse illud supra hos aspectabiles cœlios, esse illud finitum, ab inferno distinctum, non tamen creatum, &c. videat ipse etiam, an ista de cœlo Beatorum definiens temeritatis accusari non possit ex suo ipsius pronüciato: juxta quosque in istis assertionibus suis an non aberrationis cujusdam à scripturis reus sit, seposito Φιλαυτίας, si fortè quæ obstat, affectu, inhibitoque paululum in alios odio, ut vigere quidem illud etiamnum videretur, probè consideret.

C V.

Quæ adversus scripturæ loca, superioritatem localem denotantia oggeruntur, jam supra pleraque sunt discussa. Et an Col. 3. 1. ἡ ἀνω ὀψώνια ὀψώνια Paulus terrenæ qualitatis & conditionis ita, ut terrestris locus non includatur & connotetur? An ἡ ἀνω ὀψώνια ita describit non ratione substantiæ, sed ratione. saltem peccantium qualitatum v. s. ut substantia terræ quoad locum spectata non simul intelligatur? An τὸ ἀνω ad ea quæ cœlestis conditionis sunt, (adde quæ ad cœlestem beatitudinis sedem deductura nos sunt) ita fuerint restringenda, ut loci superioritas ne subintelligi aut simul cogitari quidem possit?

C VI.

Querendum regnum Dei & justitia ejus. Matth. 6. 33.
E 3 Quas.

Quarendus est Deus (seu requirendus cum praesto est) Esa: 55.
v. 6. & c. eaq; omnia a^uo & tamen etiam apud nos in terris esse
dici possunt: juxta loca Luc. 17. 21. Act. 17. 28. & c. Sed alio
atq; alio respectu ista dici certum est, ut localis dif-
ferentia ne quicquam his phrasibus tollatur, cum
de caelo quaeritur. Luc. 17. 21. Regnū Dei est ἐν τοῖς ὑμῶν
ait Christus ad Pharisaum sciscitantem. Prædicationem vero Evangelii hic Regni Dei nomine indi-
gitat, si Osiandri paraphrasin sequi lubet. Ait enim post
verba ecce regnum Dei intra vos est: id est, non consti-
tuet Messias tale externum Regnum in hoc mundo, ut ipsius Pa-
latium & cancellaria monstrari possint (quod fit in regnis hu-
jus mundi) sed est spirituale regnum quod constat predicatione
Evangelii & ministerio sacramentorum sine mūdano splen-
dore. Itaq; jam nunc regnum Messia apud vos est (quamvis nō
obseruetis) imò intra vos est. Quotquot enim Evangelio cre-
dunt, hi reguntur verbo & spiritu meo ut mihi, Regi Messia
obediant, & mecum deinde in aeternum regnabunt perpetuoq;
feliciter erunt. Ita Osiand.

Act. 17. 28. In Deo vivere, moveri & esse dicimur, sed non
ita, ut aliter futurus nō sit in nobis cum erit omnia
in omnibus. 1. Cor. 15. 28. quod in caelo futurum jux-
ta gratiosam promissionem praestolamur. 2. Cor. 5.
1. 2. quandoquidem Christus esse nos secum vult ubi
ipse est. Joh. 17. 24.

Psal. 115. 8. Deut. 4. 29. Propè esse dicitur Dominus omnibus
ipsum invocantibus, sed non ita ut aliter in caelo beatis
Angelis non sit propè, & nobis etiam futurus, cum
ipsum videbimus facie ad faciem.

Deut. 30. 14. Rom. 10. 8. Verbum Dei non esse longè à nobis, sed
propè

propè in ore & corde nostro dicitur: sed nihil id impedit
quo minus esse cogitentur loca superiora distincta
ab inferioribus. Sic & cum remitti nobis peccata in terris,
& simul remissa dicuntur in caelis Matth. 9. 6. & 18. v. 18. lo-
corum distinctio tantum abest ut negari exinde pos-
sit, ut manifestissimè potius arguatur.

CVII.

Regula de vocabulo SUPRA in scripturis usurpato de
spiritualibus & caelestibus, probanda antè quoad illud,
quod tantum de spirituali altitudine, sublimitate,
Majestate, & gloria, ac ita de istis accipienda sit ista
particula, ut non simul etiam locum designare pos-
sit, ac scripturae usu nusquam designet. Aliàs frustra
inculcabitur iis, qui & gloriam illam caelestem ac
majestatem, & locum etiam simul per particulam e-
am significari nihil dubitant.

CVIII.

Augustinus lib. 38. quest. 29. Loci superioritatem abso-
lutè non inficiatur, saltem id monet, ad quod mens &
animus praecipue intentus esse debeat, & ait ea me-
ritò excellentiae sursum esse intelligenda esse, per
quae nimirum futurum est, ut ad ea, quae verè sursum
sunt, perventuri tandem simus.

CIX.

Christus ascendit supra, & in altum sublatu est, τῶν ἄνω
παισίδων, ut nobis de illa Patris domo constaret, ubi
mansiones multae, in qua secum esse vult quos Pater
ipsi dedit, nimirum de caelo Beatorum. Nam id antè
monuerat, se cum exaltatus fuerit ex terrà, attractu-
rum ad se omnes. Joh. 12. 32. Quando igitur constat i-
psum

psum ascendisse *ὑπεράνω πάντων τῶν ἑρηνῶν* Eph. 4. 10. & videns ex ipsâ ascensione esse potest, Beatorum cœlum esse supra aspectabiles cœlos constitutum: minusque rectè hoc per ascensionem significatum esse negatur.

CX.

Nusquam in scripturis docetur ascēdisse Christum in altum, ad hoc (solummodò) denotandum, 1. *Se externo illo spectaculo finem facere velle generalium suorum apparitionum.* 2. *Deponere naturalem & visibilem in terris his tam presentiam, tum conversationem, tum conditionem: utposito hoc gemino quasi sine ascensionis, de superioritate cœli ex ascensione argui nihil possit.*

CXI.

Potius apparitionum generalium finis ac clausula, ut & naturalis visibilisque presentia & conversationis cessatio, cum vera illa in locum superiorem ἀναλήψει, accuratissimè convenit, eamq; necessariò secuta esse facilè intelligitur. Ad ea saltem denotanda vel simplex aliqua disparitio satisfuisset, non opus tam definito secundum ultimum terminum ascensu, prout sacre literæ eum distinctissimè nobis describunt.

CXII.

Illam supra aspectabiles cœlos locationem, Cœli Beatorum, Christi ad iudicium descensus satis etiam manifestè confirmat: dum Act. 1. v. 11. docetur Christus iterum venturus eo modo, ut visus est abire. Cum perspicuis istis Angelorum verbis non convenit certè, si dicatur, descensum Christi non notare localem aliquam ex supremo loco in inferiorem profectiōem. Si ascensio facta

ēra per Ἑσπικὴν μετέστασιν, etiam descensio pari modo fiet. Angeli enim dicunt ἕτως ἐλεύσεταί, ὡν τρέπον ἐθεόσασαυ αὐτὸν πορεύμενον εἰς τὸν ἑρηνόν. conferantur etiam huc loca 1. Thess. 1. v. 10. & c. 4. v. 16.

CXIII.

Eodem sensu descensum Christo esse tribuendum, quo sensu in scriptura Deo tribuitur. *Genesis. 1. v. 5. 7.* admodum indiscretè dicitur; nec per solidam consequentiam affirmari potest. Deus enim pater caro non factus est, aut semen Abrahamæ assumpsit, sed ὁ λόγος, ut quoad naturam humanam omninò aliter in filio ac in Patre descensum accipere conveniat.

CXIII.

Nec infert descensus ejusmodi divina Majestatis aut dextera Dei desertionem: multò minùs visibilem Christi in nubibus apparitionem non tolerat, aut gloria & judiciaria potentia manifestationem non promovet: ut per apparitionis illius, aut manifestationis designationem, aut desertionis istiusmodi causationem inficiari eum liceat. Potius, si ascensio in cœlum dicatur majestatis supremæ omnimoda assequutio seu usurpatio, contrarium significari descensione ex cœlo videbitur, imò rectè arguetur.

CXV.

Quod ratione nostri nostraque imaginationis sursum sit, πᾶ ἰλλud Beatorum, quod item naturalis & animalis conceptus (adde & rationalis) aliud sibi concipere vix possit, verum est, sed ita ut de congruente rei ipsius veritate, nequaquam ambigi opus sit: cum imaginatio ea nostra, conceptusque ille noster patefactioni divinæ

innitatur, per quam in scripturis τοῦ ἁγίου πνεύματος
τοῦ ἕρως nobis designatur.

CXVI.

Hinc etiam hoc in casu à naturali & rationali
conceptu, qui per divini verbi patefactionem aliter
se habere non potest, cumque eà omnino convenit,
ad rei cœlestis existentiam, situm, locationem argumentari
plane licet: nisi fides hic potius divinæ patefactioni
habita intervenit, quàm argumentatio.

CXVII.

De cœlo Dei
quidam ef-
se à quibus-
dam dica-
tur & quid
secundum
scripturam.

Hæc de Beatorum cœlo. De alio in supercœlo,
sunt qui doceant: quod Dei cœlum appellent, cœlumque
Majestaticum Deo proprium, quod describitur 1. Timoth. 6. 16.
Quod nihil sit aliud, quàm divina gloria, & Majestas, quam
Deus ab æterno in se habuerit, habeat & in æternum habiturus
sit: in quo cœlo ab æterno vixerit, vivat, & victurus sit: quod
item sit divinum, cœleste & omnipotens super omnes creaturas
imperium, & Dominium.

CXVIII.

Simile quoddam cœlum Augustinus Eugubinus in
sua Cosmopœja describit, ut & in tract. de nat. incorporeis.
Quod sit æternum quippiam & increatum, lux & claritas
quadam manans ex Essentia Dei, in quâ luce ut Deus & ad cu-
jus participationem atque fruitionem tam boni Angeli, quàm
viri justii admittantur, quæ æterna lux ac claritas sit illa, quæ
in scriptura toties justis hominibus pro mercede laborum pro-
mittatur: de quâ intelligendum sit quod dicitur Psalm. 104.
vers. 2. Amictus lumine sicut vestimento: & illud Joban. 17.
Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus
fieret, apud te. Cujus lucis specimen quoddam datum sit in
trans-

transfiguratione Domini nostri & in rubo Moysi, & ejus vultu
ex colloquio & consuetudine cum Deo habitâ, supra humanum
obturum resplendente.

CXIX.

De cœlo tali ac opinione hæc secundum scri-
pturas antè dispiciemus, quàm ut eam, (quod facit
Perer. in Gen.) explodendam atque execrandam, ac sempiter-
nâ oblivione sepeliendam pronunciemus. Secundum scri-
pturas verò ut ut audiamus habitare Deum lucem,
inaccessam, atque amictum dici lumine, ut vesti-
mento: ut ut gloriam majestatemque æternam in
eodem agnoscamus, imperium etiam illud omni-
potens humiliter veneremur, lucisque illius divinæ
specimina illa admiremur: illud tamen ex iisdem
scripturis etiamnum addiscere minimè licuit, lu-
cem eam, majestatemque aut imperium illud cœli
nomine insigniri ita, ut nihil aliud cœlum Dei in
scripturis nominari solitum, dicendum sit esse,
quàm illa lux, illa majestas, illud imperium.

CXX.

Sanè lucem inaccessibleam Deus habitare ac ami-
cire se lumine tanquam vestimento, cogitari juxta
scripturas potest, si in Beatorum sede illâ, quæ
cœli nomen sine controversia obtinet, ac luce di-
vinissimâ, atque nobis inaccessibleâ refertissima esse
significatur Apoc. 21. v. 23. ipse gloriam suam majesta-
temque manifestare, lucidissimè & quasi ἀντομοιω-
τως in eâ spectandum se præbere (1. Job. 3. v. 2 1. Corint. b.
13. v. 12.) atque ita in eâ quasi habitare statuatur.

CXXI.

Et cum per illud, quod Deus dicitur habitare lucem inaccessam, id proprie significet Apostolus, Deum nobis esse absconditum, nec tamen obscuritatis causam in ipso esse, quasi in tenebris lateat, sed in nobis quibus propter imbecillam mentis aciem, vel hebetudinem potius, non pateat accessus ad ejus lumen (ut monent eruditi commentatores in eum locum): aut etiam ut explicare alii solent, id ad descriptionem essentiae divinae pertineat, quod Deus aeterna lux sit, cujus fulgorem, (ut quidem in Essentia sua est) nulla creatura ferre potest (ut habet Hunnius in eum locum) non licet id mox ad descriptionem caeli Dei transferre, cum nusquam scriptum sit, id omne caelum Dei esse, quod inhabitare ipse dicitur.

CXXII.

Cum amictus lumine dicitur quasi vestimento, id potissimum significatur, quod quamvis invisibilis ipse quoad Essentiam suam sit, conspicua tamen ejus gloria sit dum irradiat totum mundum suo fulgore. Ita vestis, in qua visibilis nobis quodammodo apparet, qui in se ipso invisibilis est ac absconditus, per pulcherrimam mundi fabricam exhibetur. Inde quod hoc ad caelum quoddam Dei peculiare & aeternum transferre non conveniat in propatulo est.

CXXIII.

Aeterna Dei majestas, ac gloria, imperiumque illud a-

ma-

gnipotens caeli appellatione innuitur quidem, sed caelum tamen vel tum appellatur amplissima illa orbis universi machina, ut in qua gloria, Majestas, ac imperium Dei maximè & undiquaque conspicua. Enarrant enim caeli gloriam Dei. *Psal. 19. v. 2.*

CXXIV.

Et parum probant loca, quae horsum allegantur, esse Dei caelum nihil aliud, quam divinam gloriam ac imperium. Cum *1. Reg. 8. v. 39. Caelum statio habitationis divina dicitur*, non certè aliud nihil esse docetur, quam illa majestas, aut aliud potius ita vocatur, quam aspectabile illud & creatum caelum. *Psal. 20. v. 2. Coeli ne mentio quidem fit, sed שׁוֹמַיִם sanctum seu sanctuarium tantum appellatur. v. 7. caelum sanctitatis Dei dicitur*, sed ne hinc argui potest, quod in quaestione est: cum caelum illud sanctum vocetur, quod Dominus sanctificavit sibi in aulam & sedem regni sui, ubi nihil omninò pollutum est, nihil co inquinatum, sed sunt omnia divinae consona voluntati *Psal. 102. v. 20. Excelsum sanctuarium Dei quidem appellatur, seu sublime sacrarium Dei*, Vatabloque sublimis locus sanctuarii & caelum pro eodem poni dicitur, sed nondum id dicitur, quod caelum à Deo non sit distinctum, ut evinci id queat, de quo laboratur.

CXXV.

Psal. 103. v. 19. In caelo dicitur JEHOVA preparasse, seu stabilivisse & firmasse thronum suum seu solium. Psal. 113. v. 4. 5. Supra ipsos caelos gloria ejus esse, in excelsis habitare ipse dicitur, Psal. 115. v. 3. In caelis isidem esse significatur. Esa.

F 3

53. v. 15.

53. v. 15. *Sen juxta Trem. c. 54. 1. è caelis intueri rogatur, ex habitaculo sanctitatis sua & ornatus sui*: Sed an ita caelum quod Deo tribuitur per præparationis, per throni, solii, habitationis modum, quo gloria ejus superior esse dicitur, quod habitaculum ornatus ejus, seu juxta vulgat. solium gloriæ ejus appellatur, an inquam ita constat ac evincitur, caelum illud, Deo tributum, esse nihil aliud, quàm Dei æternam Majestatem, gloriam, ac imperium super omnia?

CXXVI.

Itaque extra scripturæ usum *caelum aliquod tale Theologicè & spiritualiter appellari fingitur*: & per consequens pro termino ascensionis Dominicæ ultimo secundum scripturam etiam designari non potest, cum quidem ita caelum dictum ascensionis veræ & localis terminus esse etiam nequeat.

CXXVII.

Sed non solum præter scripturæ usum, talis quædam caeli appellatio fingitur, verum, & hoc de Dei caelo asseritur *esse illud ubique, & sub eodem caelo Diabolos suo modo contineri*. Quæ assertiones an scandali enormis temerè accusentur ob caeli inusitatam in sacris literis appellationem, judicent, qui temerarium vocum sacrarum usum dignoscere possunt.

CXXVIII.

Dum Dei caelum aliquod extra scripturam ita peculiariter vocatur, supervacaneum equidem est videre, qui probetur, *esse illud ubique*: (De Majestate enim ac Gloriâ Dei & imperio, quis ita sentiat, ut ad locum aliquem particulare ea restringat & non ubique

*An caelum
Dei ubiq.*

que agnoscatur?) Eo tamen fine non frustra & id pertuebimur: Ut animadvertamus, an vel in eâ assertionem scripturæ usu quid promatur, quod illam caeli appellationem non ficticiam esse eveniat.

CXXIX.

1. *Dei immensitas allegatur, ac exinde ubique esse Dei caelum arguitur*. Sed Deo tribui caelum per æqualitatem ex scripturis antea ostendatur, aut tale aliquod caelum appellari saltem. Inde arguatur, *ubicunque Deus est, ibi ejus caelum est*. In caelis enim cum habitare Deus dicitur, non per exæquationem Essentiæ & Majestatis id fieri intelligitur, aut per inclusionem, & capiendi modum (nam hic disertè repudiatur 1. Reg. 18. v. 27.) sed illustrioris saltem manifestationis respectu, & præsentissimæ fruitionis ac visionis Beatis in eo obringentis.

CXXX.

2. *Æternitas ac perpetuitas inhabitationis adducitur, quod caelum sit æternum Dei domicilium in quo ab æterno habitavit*: Sed phrasin eam è scripturâ nobis approbari meritò antè petimus, quàm ut per ejus admissionem, occasionem demus, caeli nomen, quod creaturæ mox tribuitur, ut primum in sacris literis usurpatur, non sine offendiculo, ad æternum quiddam transferendi.

CXXXI.

3. *ὅτις ἀπερίστος* quod Deus inhabitare dicitur, si de essentia ipsâ Dei accipiatur, immensum quidem & infinitum senseri debet. Sed intellectâ ita Dei essentiâ, caelum aliquod simul non intelligitur, vel loco illo Paulino de

denotatur. Sed & si φως illud ἀπερίσπτον esse intelligatur, cum quis proprio Marte ad ipsum contendit (aliàs nisi tua gratia nobis patefaceret Deus aditum, non diceret Propheta, qui ad eum accedunt illuminantur, *Psal. 34 vers. 6.* sique nullus omninò accessus esset, non scriptum esset, videbimus eum sicuti est *1. Joban 3. v. 3.*) inconvenienter certè ex eo ubiq; quid esse arguetur: & multo inconvenientius, si lux ea in coelis atque futurâ vitâ nobis futura per Dei gratiam accessâ, nunc intelligatur esse inaccessâ dum in terris habitamus. Itâ sane ubique esse & inaccessum esse, tantum differunt ac distant, ut per posterius prius potius negetur, quam arguatur.

CXXXII.

A Brentio Cœlum & Regnum Dei quotuplexcunque dicatur, *Majestatis, Gratiæ, gloriæ, Iræ, & Justitiæ*, non obtrudenda tamen scripturis ignota cœli appellatio, aut ad ascensionis articulum acciendâ.

CXXXIII.

Excelsitatem respectu Dei non συγκρινὸς esse accipiendam cum in altis habitare dicitur. *Psal. 113. v. 5. Luc. 2. v. 14. & respicere ex alto Esa. 57. v. 15. &c.* sed θεοπερίσπτος explicandâ esse omninò certum est. At fieri hoc potest, licet cœlum aliquod ubiquitarium non fingatur, licet cœli in superioribus locatio disertè simul asseratur.

CXXXIIII.

Etiamsi enim Cœlum, cum de Deo agitur, localiter accipiatur, non tamen sequuntur ἀπὸ τῆς illa. 1. Deum locatone contineri. 2. Deum dum in terris nobis adq; extra cœlum esse. 3. aves cœli Deo viciniore esse, quàm
Chri-

Christianos in terrâ versantes. Aliter enim in coelis esse, quàm ut in illis includatur aut contineatur, Deus dicitur: aliter nobis in terris adesse intelligitur, quàm ut cœlos deserat; aliter viciniore Deo aves, quàm ut Deo etiam viciniore ac nos esse dici possint: dum cœlum terramque implere Deus agnoscitur. *Jerem. 23. v. 24.* Dum hominibus ubicunque sint adesse ita creditur, ut tamen in cœlo etiam sit *Psal. 139. v. 8. 9. 10.* dum aliter hominibus gratia Dei deputatur à Salvatore nostro ac avibus sub cœlo, siquidem passerulis multis præstare nos docet. *Matth. 10. v. 31. & Luc. 12. v. 6. 17.*

CXXXV.

Ratione συνάταξίας & per ἀνθερωποπάθειν ita tribuitur Deo cœlum superius, ut simul ex eo ipso localiter spectato φανερώται ἡ εὐχὴ fieri & δύναμις declarari excellentissimè intelligatur, nec opus sit, ut affingatur Deo cœlum aliud, quod & aliud esse nihil dicatur, quàm majestas & gloria Dei æterna, cum majestatem & omnipotentiam satis testentur cœli, ut jure per sedere in cœlis Tremellio & Junio etiam omnipotentia Dei significetur, seu id intelligi dicatur, quod Deus sit omnipotens.

CXXXVI.

Athanasius vum inquit, *Discant sursum illud & in alto esse non corporaliter duntaxat audiendum. sed novâ ratione intelligendum esse, &c.* non excludit localem cœli designationem: ut frustra huc allegetur. Nimirum à locali & corporali designatione cœli altiùs ad cogitan-

gitandam Dei majestatem est ascendendum. Sed non ita ut ipsam majestatem Dei æternam cœlorum nomine contra usum scripturæ accepto minuamus potius, quàm magnificiamus.

CXXVII.

Ex dictis hætenus satis conspicuum esse potest, quomodo in cœlis dicatur esse Deus *Matt. 6.9* ut ad phrasin eam explicandam secundum reliquas scripturas, non opus sit fingere aliquod cœlum aliàs scripturis nunquam ita dictum.

CXXVIII.

Exinde etiam satis plenè ac secundum scripturam cõvenienter ab *Ursino à Pareo*, ac aliis cœlũ Dei describi conat, cum illud esse cœlum Beatorum docent, universamque cœlestem machinam quandoque assignari Deo statuunt, cum cœlum Deo in scripturis tribuitur: cum cœlum beatorum per divinam majestatem & gloriam irradiari, in eoque divinum intuitum & immediatam communicationem Beatis omnibus æternum obtingere significant: cum in aspectabilibus cœlis etiam maiestatem ac potentiam, gratiam, gloriam, iram, ac justitiam ejus conspici fatentur.

CXXIX.

Non confunditur eã descriptione Dei cœlum cum cœlo Beatorum, dum per eam descriptionem cœli Dei, id quod eo nomine alii designatum volant, luculentius fit, & dignius æstimari videtur, quàm ut rei creatæ nomen participet: Sic nec æterna Dei gloria ac majestas absolutè spectata, cum eã qua relatè & ratione *νοινω* *νίας* ad creaturas æstimatur confunditur, cum illa agnoscatur.

scatur rectius & minus confusè, si simpliciter & plenè appelletur, quàm si præter scripturæ usum cœli nomine designetur. Nec Dei cœlum finitum esse absurdè dicitur, cum per illud majestas ac gloria Dei manifestari dicitur, non ipsum nihil aliud esse, quàm æterna Dei majestas, &c. dicitur. Potius finitudinis cuiusdam de Deo concipiendæ ac imaginandæ occasio ita rectius declinatur, si usus vocis cœli scripturis notus accuratè retinetur. Nec in cœlis esse Deus negatur cum nobis in terris adest, ut ex antedictis clarum est.

CXL.

Ad Dei cœlum exprimendum, in quo habitare dicitur lucem inaccessam, sufficere ea omnia arbitramur, quantum salutis nostræ ratio exigit, quæ ita in scripturis sacris nobis tradita ac patefacta sunt. Tò εἰς αὐτὸν εἰς αὐτὸν si opponitur patefactioni divina, non per verbum & docendo fieri intellectæ opponitur, sed ipsa operis rei que manifestatione fieri cogitatæ. Unde ex verbo Dei de eo pronunciare nihil impedit, potius omninò convenit.

CXLI.

Sed & absurdè Diabolo contineri aliquo modo sub cœlo Dei docetur & affirmatur cum majestatem illam Dei, omnipotentique imperium cœli nomine appellari aut cœlum Dei nihil aliud esse, quàm illam majestatem &c. secundum scripturas non dicatur: cum e verbo divino nusquam propriè cœlum aliud nisi conditum ac creatum agnoscere liceat, Dei autem cœlum id, quod beatorum vocari solet, dici constet,

G 2

quo

An Diaboli
sub cœlo Dei
contineri a-
liquo modo
secundum
usum scri-
pturarum
dicantur.

quo indignus per peccatum factus est Diabolus, in Tartarum detrusus, nec luce illâ fruens, quæ in Beatorum cælo prostat, sed σαρρῆς ζόφου constrictus, quibus infernus destinatus. 2. Petr. 2. v. 4.

CXLII.

Ita etiam frustra peculiaris significatio illa cæli Dei hoc loco occinitur, (cum secundum maiestatem, &c. non spiritus solum omnes tam beatos, quam malos, sed & corpora omnia sub cælo ita appellato, contineri certum sit,) si non antè scripturis usitata talis cæli appellatio esse probetur. In primis verò alienum hoc loco & extra scopum moneri peculiariter accipi in hoc quesito cælum pro transnaturali conditione, cum de Dei cælo quærat, non de diabolorum conditione, quæ qualiscunque esse cogitetur à maiestate tamen & potentiâ ac imperio Dei, sententiâ nostrâ non eximitur.

CXLIII.

Eph. 6. v. 12. per πνευμαλικά τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπερανοῖς Diaboli quidem significantur, sed non ita sub cælo Dei contineri docentur, quantumvis per τὸ ἐν ἐπερανοῖς si ad πνευμαλικά referatur conditio, quædã valentior ac potentior innuatur, quàm corporalibus creaturis competit. Nec enim si quid conditione aliqua terrestrem naturam superat atque ἐν ἐπερανοῖς censetur, Dei cælum aliquod peculiare fingere ac concipere mox opus est.

CXLIII.

Cum Job. 1. vers. 6. legitur, advenientibus filiis Dei, ut assiste-

starent se coram Jehova similiter etiam advenisse satanam inter eos; nulla cæli mentio fit nec aliquod cælum Dei peculiare cogitari opus est, ut intelligatur quod dicitur. Nec quod dicitur inter eos, hoc est, Angelos, qui utique in cælo fuerint, satanam advenisse ad loci communitatem referri necesse est: sed satis est si ad ministeriorum, quæ boni ac mali angeli præstare Deo tenentur, communes rationes referatur.

Sed expedit locum hunc Athanasius in quest. var. ad Antioch. q. 12.

Questionem ibi proponit hanc. Quum è cælis Diabolus ceciderit, quomodo in Job scriptum legitur, quando venerunt angeli Dei, ut assisterent coram Domino affuit & Diabolus in medio illorum?

Responsionem subnectit istam. οὐκ εἶπεν ἡ γραφή, ὅτι ἦλθεν ὁ Διάβολος ἐν τοῖς ἔρανοῖς ἐν μέσῳ τῶν ἀγγέλων. προδήλον ἔν ὅτι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ γὰρ ὅπερ εἰάν ὦσιν οἱ ἅγιοι ἀγγελοι, τὸ θεῶ παρίστανται. πλὴν δεῖ εἰδέναι, ὅτι ὁ θεὸς Διάβ. πν. ἀγία ἀγγ. λ. πρὸς τὸν Διάβ. λ. διελέγετο. κατὰ τὴν καὶ βασιλεὺς Διάβ. πν. μέσῳ ἀνθρώπων πρὸς τὸν κατὰ δίκον, Hoc est.

Non dixit scriptura, quod in cælis venerit Diabolus in medio Angelorum. Consta ergo quod in terra: Siquidem ubicunque fuerint sancti Angeli, semper inibi Deo assistunt. Hoc verò dignum scitu est, quod Deus, per aliquem sanctum Angelum Diabolo colloquebatur, quemadmodum, & Rex quilibet, per hominem aliquem intermedium ad condemnatum seu adversarium suum loquitur. Hac Athanasius, E quib. animadvertere est, an vel somniarit de tali aliquo cælo, quod ubi sit. Quod & planius patet si ejusd. Athanasij l. c. quest. 9. videatur.

CXLV.

*Cum 1. Reg. 22. v. 19 de toto exercitu cœli astante Jého-
va à dextris & sinistris dicitur, nulla est necessitas, ut
peculiare aliquod Dei cœlum intelligatur. Ex-
ercitus enim cœli rectè & phrasi scripturæ dicuntur
angeli, si cœlum beatorum intelligatur. Et
quia in eodem olim fuit etiam Diabolus, quid ob-
stat, quo minus nomen ex pristino statu quando-
que participet. Sed & in eo exercitu cœli malus spi-
ritus fuisse *vers 21*, non dicitur. Saltem hoc dicitur,
tandem produisse quendam spiritum, &c. A sinistris
an prodierit conjectura est mera: cum ea dicendi
formulâ potius demonstrari videatur divini exer-
citus multitudo & copia. Sed quomodocunque ea
accipiantur, imperio divino præsentis etiam diabo-
los esse, & vel ultro ad nocendum sese ingerere ex
eo loco clarum est: non verò imperium illud Dei,
cœli nomine appellari: ut sub Dei cœlo eos conti-
neri, exinde arguere liceat.*

CXLVI.

*Ratio seu Argumentatio, qua ad id probandum, quod
Diaboli etiam majestico Dei cœlo comprehendantur, adhibe-
tur, & ex eo instituitur, quod Majesticò Dei cœlo omnes crea-
tura comprehendantur, nimium enervis exinde est,
quod nondum ostensum sit, describi in scripturis
tale aliquod cœlum, quod nihil aliud sit, quam ma-
jestas illa Dei æterna atque omnipotens imperium
in universas res creatas.*

CXLVII.

*Absurda que necti solent ex assertione eâ, quod Diabolus
etiam*

*etiam sub Dei cœlo comprehendatur, non phantasia sunt car-
nalis sed religiosa observantia modorum loquendi scriptura u-
sitorum. Ex scripturâ enim dum constat, Dei cœ-
lum, Dei solium, habitaculum, domum, dici illam
Beatis desponsam sedem, non carnali aliqua phan-
tasiâ sed ex sacræ phrasis observatu, dici potest, si in
Dei cœlo constituatur Satanas, cum etiam videri
in cœlesti gaudio & beatitate constitui, atque in-
fernum in cœlo collocari.*

CXLVIII.

*Inde & ad absurdum prius declinandum, ni-
hil est, quod argumentatio talis, Quicumque est in Dei cœlo,
is est in cœlesti gaudio & beatitate, & si vera esse dicatur: ut
nimirum vox cœli pro cœlesti gaudio & felicitate accipiatur.
Quasi verò ea ratione non mera fiat nugatio &
principii petitio, videlicet, ut dicendū sit, quicumq;
est in cœlesti gaudio & felicitate, is est in cœlesti
gaudio & beatitate. Dei cœlum alicubi non signifi-
care in scripturis beatitudinis atque sanctitatis sedem
antè ostendendum est, inde facilius absurdum il-
lud piis mentibus excutietur.*

CXLIX.

*Ab eadem de Dei cœlo probatione, alterius
etiam limitationis vis pendet, quæ hic ad absurdi-
tatem istam declinandam adhiberi solet, quod nimi-
rum Diaboli in inferno sint ratione universalis conditionis &
sensus, in cœlo vero Dei ratione ministerij erga Deum in cœ-
lis. Nisi enim probeatur universale illud Dei imperi-
um vocari etiam cœlum Dei in scripturis: nunquam
secun-*

secundum eas sed semper extra earum ulum dicentur esse Diaboli in caelo Dei.

CL.

Sic etiam carnalis phantasia temerè obiectatur, cum ex assertione illà, quod diaboli etiam comprehendantur in Dei caelo, infertur, infernum in caelo collocari. In scripturis utique distinguitur Domus Patris ab Abyſſo & Tartaro, Domus autem Patris, Dei caelum dicitur.

CLI.

Ac quantumvis infernus potestati divinae subiectus esse moneatur, ut quidem regei solet, imò in manu Dei esse dici possit, quemadmodum & ima terrae in manu ejus esse dicuntur Psal. 94. v. 4. non tamen phrasim etiam altera, quàm quid in caelo Dei esse seu sub eo contineri dicitur, applicari huc communiter pari scripturarum indultu potest: siquidem non quicquid in manu Dei esse dicitur id omne & Dei caelo accensetur.

CLII.

Quod ulterius hic regeritur infernum pro infernalibus cruciatibus accipi, quos etiam pii quandoque experiantur, id absurdo de inferni in caelo collocatione, adducto parum medetur. Nam quod pii hoc sensu in inferno esse, & infernales cruciatibus sentire ita dicuntur, ut tamen sint etiam in gratioso Dei caelo: imò in medio ejus caeli sint saepe in inferno: id per modum oratoriarum hyperbolarum dici fortè potest: at planè & accuratè si loquendum est, æque absurdum censeretur id potest, ac si ad eadem tempora calidissimum, idem ac frigidissimum

dicere lubeat, tristissimum idem ac lætissimum De veritate sciscitantibus hyperbolæ parum profunt: affectum sectantibus, magis commodè inserviunt. Ad minimum alternationibus differunt infernales animi anxietates, & caelestia gaudia, ut secundum tempora variet hæc piorum constitutio. Hinc convenientiore phrasi magisque scripturis accommodatâ, pii modò in infernum detrusi videri possunt, mox ex eo protrahi, & in caelo quasi collocari. Ita Psal. 30. v. 4. animam suam ex inferno à Deoeductam esse David ait. & Psal. 86. vers. 13. erutam animam ex inferno inferiori.

CLIII.

Caelum pro caelesti Ubi sumtum, ab inferno itidem pro infernali Ubi accepto revera distingui, bene quidem est, quod credatur: sed an satis firmiter hoc credatur, ambigi jure de illis potest, qui caelum beatorum pro caelesti Ubi sumtum, ab infernali πs distinctum esse dicunt, non autem locali situatione. Distingui enim duo Ubi quæ possunt, si locali situatione non etiam distingui intelligantur.

CLIIII.

Ex discussis hætenus evidens, an scripturæ notum aliquod caelum, quod nihil aliud, quàm ipsa Dei majestas &c. sit, quod Ubique, sub quo etiam infernus, & Diaboli contineantur. Nimirum scripturis caelum aliquod tale est ignotum. Aliquid fortè in eo etiamnum superest, quo caelum hoc approba-

An aliquod distinctum Dei caelum, à Beatorum caelo.

H

ri

ri posse aliis videatur, quod cœlum Dei & Beatorum, non esse prorsus idem asseritur.

CLV.

Id verò solidâ ratione nullâ evincitur. Nam cum arguitur cœlum Dei aeternum, immensum, infinitum, esse ac per imperium infinitum, &c. describi; Beatorum verò, mensuratum, finitum, &c. adeoque differre cœlos ejusmodi: priorum illarum affectionum capax cœlum extra Dei verbum fingitur. Nisi scripturis cognitum esse, cœlum aliquod secundum affectiones istas probeatur, frustra, de differentiâ ex illis evincendâ laboratur.

CLVI.

Deinde quoad lucem inaccessam differentiam hic aliquid quam argere licebit, si probatum fuerit, non dici lucem eam inaccessam ratione nostri, antequam Beatitudinis cœlestis compotes per divinam gratiam in cœlis fiamus; si item probatum fuerit lucem inaccessam Dei cœlum peculiariter appellari. Aliàs usque affirmare licebit vel lucem eam aliquo modo etiam, *ωρῶσιον* fore, vel eam Dei cœlum non appellari usu sacro.

CLVII.

Quid sit Beatorum cœlum, qua cœlestis gloria & beatitas, qua ubi seu πῆ cœleste spectatur, ex superioribus abunde constare potest: nec genuina illorum consideratio ad diversum cœlum Dei à cœlo Beatorum constituendū quicquā facit. In cœlo Beatorū quoad gloriam & Beatitatem notū est, Deū ob-

jecti

jecti ac efficientis rationem habere. Unde & in hoc cœlo ob præsentissimam illam visionem habitare, & illud illuminare, & ipse lux, Sol ac Luna esse Deus dicitur, *Esa. 60. v. 19. Apoc. 21. v. 22.* Gloria autem & beatitas cœlestis, quâ esse cogitatur aliquid in ipsis beatis per modum *qualitatis residens*, creatum aliquid futurum omnino est.

CLVIII.

De ipso Beatorum πῆ seu loco ab infernali πῆ distincto *Luc. 16. v. 26.* (*μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστὶν κενόν*), &c. ambigere & determinandi difficultatem necesse, Num *Ens substantiale sit & reale, an verò imaginarium: num Ens substantialiter & realiter à Deo & Beatis distinctum? num Ens à beatis separabile an inseparabile?* Sacris scripturis minus credulæ *δοξοσφίας* esse videtur, demandatæ verò singulis τῆ ἐν πίσει οἰκοδομίας parum convenit.

CLIX.

Ostensum jam antè an scripturam habeamus de his tacentem. Nec in contrarium adduci potest quod *1. Corinth. 13. v. 12.* scriptum est, (*βλέπομεν ἀεὶ δι' εἰσόπτρου ἐν αἰνίγματι*.) Imperfecta & obscura saltem esse nostra cognitio per illud arguitur. Nulla esse in iis, quæ in scripturis revelata sunt, exinde argui non potest. Jam imagines saltem ex verbi divini traditione concipere de rebus istis abstrusis licet, non certè merè falsas aut planè nullas, sed tam veras, quàm Deus in scripturis verax. Tum res ipsæ illæ coràm spectabuntur à nobis ad eas evectis, & nova acie oculis nostris dotatis.

CLX.

Beatorum π̄ seu locum corpus esse, seu in corpore aliquo definiri supra ostensum est: nec inficiari id propterea licere, quod *angeli & beati in altera vita non indigeant corpore pro basi*. Nec hinc probabiliter demum colligi opus est, Angelos & Beatos immediatè in Deo futuros. Esse enim immediatè in Deo aliud quiddam notat, quàm ut locum excludat à corporibus seu ea extra locum constituat. Aliud est cum esse in Deo dicimur, aliud cum esse in loco, sed modi illi essendi, ut distinctim concipi possint, & differant, non certè pugnant, aut mutuò se tollunt.

CLXI.

Id igitur ulterius quæritur, *an Beatorum corpora in cælo ut in loco verè & propriè sic dicto, sint futura*. E quâ quæstione si minus verè & rectè decidatur affingi Christo nonnulla quoad naturam humanam queunt, per quæ ejus naturæ veritas tolli videtur ac negari. Itaque & eam hoc loco & tempore expedire, convenit.

An corpora glorificata sint in loco propriè dicto.

CLXII.

Initio verò locum verè ac propriè dici scripturarum usu arbitramur, Finiti Entis in certò aliquo Ubi constituti terminum: sive proprium sine alienum: sine internum, sive externum dicas. (quo respectu & *Hebreis dici locus solet à radice. — quæ statuit constituit significat*). Illud vero Ubi, certum tum esse intelligi potest, si quid hic esse & non alibi seu illic, si quid alibi.

alibi seu illic & non hic esse dici possit. Alia ratione certitudinem & π̄ vix concipiet ratio ulla.

CLXIII.

Deinde si Ubi illud in naturali & sensibus nostris noto corpore designetur Physicum appellari id propriè potest: si in spatio aliquo supernaturali & sensibus nostris ignoto, Hyperphysicum dicendum est.

CLXIV.

Res corporis modo nobis cognito se habentes per circumscriptionem & mensuram in loco sive Physico sive hyperphysico sint, dicimus: res verò eminentiore aliquà ratione se habentes, ac spirituales, per definitionem, & continentiam in loco esse, designamus: prout scholarum usus habet.

CLXV.

Hinc & corpora glorificata in cælo ut in loco propriè dicto esse affirmamus, idque tanto certius, cum Christum etiam ipsum ibi locum vocare legamus. Joh. 14. 3. Locum verò eum Hyperphysicum esse agnoscimus non Physicum, sensibusve nostris aut Aristoteli notum. Etiam hic valet illud *Augustini, tolle spacia locorum corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, non erunt*.

CLXVI.

Ac quia glorificata corpora, quavis π̄ sint futura juxta 1. Cor. 15. v. 44. in spiritus tamen non trāsmutabuntur, vel spiritus propriè esse videri poterunt, juxta dictum Christi de suo ipsius post resur-

rectionem corpore, *Luc. 24. v. 39.* per circumscriptionem eadem in loco futura recte dici judicamus.

CLXVII.

Qui inficiantur corpora glorificata & in glorioso cœlo seu Ubi existentia, in loco propriè dicto esse, & per circumscriptionem .1. *Locum propriè dictum esse cœlum Beatorum inaniter negant*, cum id è scripturis satis constet. 2. *Beatos ἰουδαῖοις juxta Matth. 22. 30. Luc. 20. v. 30. ita facere videntur*, ut à corporis modo nobis noto, & à Christo post resurrectionem etiam allegato *Luc. 24. v. 39.* erroneè eisd. eximant.

3. *Corpora glorificata ita futura πνευματικά censent*, ut in Argumentatione Christi *Luc. 24. 36.* rejectanea fieri possit & minus solida videri illa Christi assertio ad corpus etiam gloriosum applicata.

4. *Quod Luc. 9. 32. de Petro dicitur (μὴ εἰδὼς ὁ λέγει* minus recte ad loci definiti negationem portrahunt: cum hoc potius dicatur ad gloriæ illius & gaudium præcepti magnitudinem indicandam, & ad majoritatem futuræ gloriæ & gaudii innuendam.

5. *Externa corporis accidentia in glorificatis cessatura*, eo usq. ut à localitate eximantur, insufficienter ex *1. Cor. 15. 44.* arguunt: cum localitas in corporis veri existentia necessaria omninò sit, si vel maximè de essentia corporis nò esse locus à Scaligero dicatur. Actum in loco esse & circumscribi terminis alienis à corpore est separabile. At τὸ πικρόν, i. e. Locabile à corpore separari nequit, quin veritas corporis destruat. Imò circumscriptio quæ fit propriis terminis, non est accidens sed modus creaturæ essentialis: quò sublato, res tollitur cujus est modus.

6. Cor-

6. *Corpora in loco absolutè spectato, propter conservationem esse erroneè presupponunt*, si universim ad atque cum intellectu particulâ tantum, accipi volunt: ut velle eos necesse est, si consequentiæ vis aliqua comparere debeat.

7. *Esse in Deo ἀμέσως & esse in loco falso pro oppositis habent*: cum illud causaliter, conservativè, hoc suo proprio modo dicatur eoque cognitissimo & quamvis ab illo distincto, non tamen illi adverso & cōtrario.

8. *Externum ambiens aliquod in cœlo futurum respectu corporum contentorum frustra negant*, si vel illud quale sit exprimere non liceat nobis.

9. Frustra pro se citant *Augustinum lib. de cogn. veræ vitæ. 4.* cum res secundum scripturas aliter definiti possit, ut auctoritate ejus standum non sit. Quamvis & de loco corporali potissimum loqui videtur, qui fulcimentum præbet, ut eo respectu locum tantum negare putandus sit, non qua in corporis veri existentia semper deprehendi cogitatur. Quo sensu verba ejus explicanda & accipienda tanto magis, quanto clarius alibi de corporibus pronunciavit. *Tolle spacia locorum corporibus & nusquam erunt, & quia nusquam erunt non erunt.*

LXXVIII.

Distinctio inter δύναμις ac ἐνέργεια inter actum primum ac secundum, aut inter modum nature ac majestaticum (si vel talis aliquis per potentiam creaturæ obedientialem æstimetur) inconvenienter adhibetur.

CLXXIX.

Modus enim tollens contradictionem, non debet.

debet esse ipsum modificatum, aut æquipollere, prædicato propositionum. Talis autem hic est, Corpus gloriosum idem numero est locale modo Physico & locali, est illocale modo Hyperphysico & illocali.

CLXX.

Deinde modus essendi non in loco, est antiphysicus corpori Physico. Modus autem non debet esse ἐκκελευστικός naturæ. Imo modus hic petit τὸ ἐν δεξιῇ. Quæritur enim an corpus quâ corpus sit locale, & quâ corpus gloriosum sit Illocale: cum sit idem numero & Essentia. Item an quâ corpus sit locale: & quâ in cœlo glorioso sit illocale.

CLXXI.

Pro basi molem corporis locati sustinente etiam cum de glorificatis corporibus agitur, accipi locum posse, non usque adeo absurdum videbitur ei, qui cogitabit non per indigentiam aliquam sed potius per machinæ cœlestis concomitantiam & ordinem universi basin talem corpori glorificato competere.

CLXXII.

Internum locum aliquem dicere, atque describere eam ex situ partium naturalis corporis certa dimensionis τῆς ἐξ ἑαυτῆς συμπετέρας ita determinatarum, ut non extra aut supra se ipsas & distantiam suam extendantur, veris Philosophis, orthodoxisque Theologis improbari verè nequit eâ ratione, quod ejusmodi τῆς ἐξ ἑαυτῆς ac situatio propriè non sit in loco. Nec enim loco interno exinde æstimato, confunditur locus cum locatione ita, ut distingui locus & locatio non possint: nec absurdum omninò aliquid sibi ipsi locum esse quâdam dimensione par-

partium situs trinâ dimensione circumscriptarum, per quam pars non est extra se, sed intra se propriis contenta terminis totius. Nec absurdum Angelos esse in loco: nec absurdum per naturalem constitutionem corpus æstimari secundum duas differentias unius loci. Nulla etiam in eo partium & totius confusio, siquidem locus totius affectio non ita est, ut non etiam eadem partium affectio sit. Nec si ipsa partium interna dispositio locatio propriè non est, ex eâ locus ac locatio æstimari non potest aut describi. Adeoq; nec talem loci rationem in glorificatis corporibus inficiari licet, per deductam ex illis loci interni rejectionem. Alia enim ratio est partis in toto: alia totius in loco.

CLXXIII.

Cum locus per contiguitatem vel extensivam situationem corporis, relatum ad aliud vicinum corpus describitur, atq; ita etiam corporibus glorificatis in cœlis constitutis tribuitur, fieri id posse cogitari potest, etiamsi unius beati corpus alteri non incubat. Unde & illud objectari adversum, sententiæ isti nihil officit. Cum corpus nullum aliud futurum dicitur, quod beata corpora sua superficie sit atteturum, id negatur de quo etiamnum disceptatur, quodque ex sacris literis persuasum esse nobis potest, modo ne corruptibile aliquid atque terrestre corpus nobis imaginemur.

CLXXIV.

Et quæ Zanchius de loco corporeo habet, per analogiam sunt accipienda: eoq; modo nulla fit μετὰ τὴν βασις εἰς ἄλλο γένος: nec malè colligitur è naturæ nobis notæ constitutione, analogica quædam naturæ superioris ratio: cum in primis aliquid naturæ non ignotæ, nimirum corpus verum humanum in-

quæstione eâ obveniat. Corpus esse posse etiam si non sit in loco, non evincitur ex eo, quod Philosophus id de cælo asseruit, & de extramundanis. Omni enim corpori quanto debetur locus 4. phys. t. 75. Cælum autem quantum est, cum sit figuratum. Locus apud ipsum Physicus est intelligendus, non corporis, quâ corpus, sed quâ alteri contiguum. Uti que cælum in tali loco non est, in quali sunt ea quæ includuntur cælestium orbium involucro: Sed suæ figuræ terminis continetur, non alienis. Analogus tamen quodammodo locus ille gloriosus cogitari potest Physico loco Aristotelico, verus interim non fictitius intelligendus est, licet quoad penitiorum ac propriam suam rationem ἀρρητὸν sit. Nec obtinetur id ex eo, quod corporis φυσικῆ, αἰσθητῆ καὶ φθαρτῆ sit locus, nisi tantum illius affectio esse probetur. Nec ita non essentielle accidens corporis est, ut vel existere atq; finitum esse cogitari possit absq; loco & circumscriptione essentiali. Unde etiam Peregrinum accidens dici non meretur.

CLXXV.

Illis qui de localitatis inseparabilitate pronunciarunt strictius circa corpora, τὸ κατὰ μέρος præproperè nimis impingitur ex eo prætextu, quod localitas nec accidens sit ὑποσώδες nec ἐπισώδες. Nondum enim probatum aut obtentum localitatem corporis affectionem ἐπισώδη non esse.

CLXXVI.

Esse finitum & quantum omninò locum exigere frustra angelorum exemplo negatur quoad finitatem: Nam ne his quidem locus denegandus: frustra etiã quoad quantitatem id negatur exemplo corporis illius primo die

die conditi. Vel ipsum illud locus sibi fuisse cogitatur. Nec omne finitum contiguum & φθαρτὸν tantum esse in loco verè statuitur, cum locus etiam esse possit, qui cum ἀφθαρτῆ nihil pugnet.

CLXXVII.

Quæ à Salvatore de loco dicuntur Joh. 14. v. 3. si putentur cum demum ac solum explicari ἰσοπεπῶς cum ad aliud planè transferuntur, mutilatur certè non nihil verus & planus sensus. Quæ per analogiam accipi ἰσοπεπῶς possunt, nec Deo indignum aliquid inferunt aut cæteris scripturis adversum, de suo genere non sunt per explicationem planè transferenda. An verò per Analogiam locus beatorum aliquis verè intelligi nõ poterit, an Deo indignũ fuerit beatis certum locum constituisse, an illud cæteris scripturis adversum?

CLXXVIII.

Placet hic & illam quæstionem de corporibus glorificatis enodare; *An penetrare possint corpora non gloriosa. Id affirmare audacter multis libet: sed probatione parum solidã: quod hic ostendisse breviter satis fuerit, per argumentorum adduci solitorum solutionem.*

CLXXIX.

Adducitur 1. Locus 1. Cor. 15. 43. Sed potentia esse gloriosa corpora possunt, etiã penetrativa aliorum nõ sint. Δυναμῆς enim ista imperium arguit, cui servitus opponitur, dicta ab Apostolo ἀδύνατα.

2. Urgetur quod ibid. v. 44. & Matth. 22. 30. πνευματικὰ & ἰσάγγελα appellantur. Sed & talia esse possunt absque illâ penetratione. Quippe non πνεύματα, sed πνευματικὰ καὶ non ἰσάγγελα paritate Essentiali: sed ὡς ἄγγελοι immunes à corruptione & generatione.

1 2

3. A sub.

An corpora gloriosa penetrare possint corpora non gloriosa.

3. *A subtilitate qua ipsis competit, arguitur idem. Sed ita subtilia futura non sunt, ut corpora vera esse definant. Non n. glorificatio est μεταστώσις, sed βελτίωσις.*

4. *Oggeritur id, quod in suo motu nec retardari nec impediri possint, nec alterum corpus resistens habeant. Sed & hoc an fieri nulla alia ratione potest, quam per penetrationem. An ultronea cessio cogitari non potest, præsertim cum ea in angelicâ Petri è carcere educatione observetur. Act. 12. 10. (πόλη ἀνδρομάτη ἠνοίχθη ἀπὸ αὐτοῦ.)*

5. *Elia ac Christi ingressus per cælum superius, tanquam firmisimum corpus, objectatur. Sed an firmamentum aperiri non potuit? aut verè ne firmamentum aliquod solidum corpus esse dicitur si Hebræa appellatio spectatur? Quin vel aperturam in illo, quacunque soliditate prædita, fieri posse cogitari tanto magis cõvenit, quanto frequentior apertorum cælorum mentio in sacris. Matt. 3. 16. Act. 7. 56. 1. 10.*

6. *Urgetur Christi exemplum, 1. quoad nativitatem, quod natus non apertis claustris virginis. 2. quoad resurrectionem, quod sepulcralem lapidem penetravit. 3. Quoad apparitionem qua facta ἰερῶν κελειομένων non ἀπὸ ἰερῶν: ut asserere quidam libuit. Sed omnia κενόμιστα, & nullo scripturæ textu quoad penetrationem probabilia. Quod in apparitione illâ post resurrectionem, Christi ingressus ad discipulos talis fuisse dicitur, qualis esse solce spectri vel spiritus, id nihil ad rem facit. Spiritum enim se esse disertè negat Christus Luc. 24. v. 39.*

7. *Exempla penetrationum è naturalibus rebus allegantur solarium radiorum per vitrum penetrantium, ignis in ferro ignito, mixtionis qualitatium, prima materia, &c. Sed ista inconvenientia sunt & diversi pleraque etiam generis à corporis veri humani naturâ carnis bus*

bus & ossibus constantis: in tempore, non in momento mobilis, penetrationem diametrorum excludentis.

8. *Adducitur gloriosorum corporum in resurrectione per terra cavernas penetratio. Sed argumentationis istius nullitatem, vel vox ipsa cavernæ prodit, ut per quam non corpus, sed cavitas quædam notatur. Sin solida terræ condensatio intelligitur, unde constat eam penetrationis illo modo à corporibus glorificatis permeandam?*

9. *Augustini auctoritas allegatur, qui omne solidum penetrabile futurum gloriosis corporibus censet. Sed ni præcedat scripturæ testificatio, infirmiter opponitur patrum assertio.*

CLXXX.

Penetratio transnaturalis & gloriosa, qua corporeitatem & quantitatem gloriosorum corporum non aboleat, non certè ea est, qua per corpora fieri radiorum solarium more cogitatur, aut arguitur. Potius est ὑπερβολὴ & μεταβάσις: quâ non tam motu momentaneo, quam subito & repentino transeunt. Haut igitur Penetrant in corpora ἀντίτυπα: Sed transeunt cedentia: & cedentibus solidis pro imperio succedunt.

CLXXXI.

Ex ita discussis de gloriosorum corporum quoad locum comparatione, in proposito ascensionis articulo etiam id de glorioso Christi corpore affirmare licet, illud in cælo, ut in loco propriè vereq; dicto versari: siquidem Christus carnis sue veritatem non perdidit ascensione sua in cælos, sed retinuit ut loquitur Phil. Nic in Synops. Artic. de omnipres. Chr. Th. 624.

CLXXXII.

Hinc etiam cum Act. 3. 21. dicitur de CHRISTO ἐν δεξιερὸν δεξιάσ, si verba illa ita explicentur, quemadmodum & græci sermonis constructio admittit, ut Christus secundum corpus suum verè in cœlo tanquam in loco nunc esse intelligatur, nihil absurdi subest, sed sensus est verissimus. Et cum vertitur, quem oportet cœlo capi, sensus eodem recidit.

Qui ἀγραμμάτικόν esse causatur, verbum δεξιάσ passivè explicari, suo se ipse verbo ἀγραμμάτων prodat. Sed & antiquitatem si super hac voce consulere lubet. Naz. or. 2. de filio paraphrasi passiva manifestè accipit. Inquit: δεῖ αὐτὸν βασιλεύειν ἀρχὴ τῶν καὶ ὑπὲρ ἑρηνῶν δεξιῶν αὐτοῦ χερῶν διακατάστασις, καὶ τὴν ἐκ δεξιῶν καθεδρῶν ἔχειν ἕως τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπιπερατήσεως.

CLXXXIII.

Cum illa explicatione concordat aptè quod 1. Thess. 1. 10 dicitur. ὅτι τὸ ἀναμύμν τὸν υἱὸν θεοῦ ἐκ τῶν ἑρηνῶν, ὃν ἔγειρεν ἐκ νεκρῶν. Et quod in ead. Ep. cap. 4. v. 16. de ascensionis opposito nempe κατὰ βάσις dicitur: κατὰ βάσις ἀπὸ ἑρηνῶν.

CLXXXIII.

Cum à Bullingero serm. 8 de symb. scriptum est: Christus Dominus juxta divinitatem nullo concluditur loco; juxta assumptam humanam naturam, quam venit ad cœlos, loco cœli certo continetur, nec est interea in terris aut ubiq; locorum corporaliter, sed sejunctus à nobis corpore versatur in cœlis (hæc enim sunt Bullingeri verba) non nisi per præproperam calumniandi libidinem, objectari idem cum Bullingero in hac parte sentiētibus potest, Christum ab ipsis ratione humanitatis cœlo includi tanquam murem muscipula?

An Blasphemum sit objectare diversū plane sentientibus eos Christum ratione humanitatis cœlo includere tanquam murem muscipula.

Quin

CLXXXV.

Quin ejusmodi locutio inconsiderata blasphemix rea est: primò quidem si βλασφημεῖν æstimerur ex origine, quam habere videtur à βλάπτειν τὴν Φημην: inde etiam si blasphemia id dicatur, cū aliquid contra Deum & ejus religionem dicitur: potissimūm autem si pro obrectatione in proximū, aut etiā de maledicto in veros doctores accipiat. His enim modis Blasphemiam dici notat Flacius in Clav. Script.

CLXXXVI.

Comparativa locutionis palliamentum lacerum est, quod hic prætenditur. Per illam enim comparationem efficta, offensiva, detractoria opinio aliis affingitur: dum per inclusionem in muscipulā id innuitur, quasi sentiant Orthodoxi Christum in cœlo non ut in regno, sed ut in carcere esse. Qui sensus aliis affingi an sine detractioe & offensione possit, judicet cui religio verè cordi est.

CLXXXVII.

Aliorum Exempla lapsionibus ejusmodi excusandis frustra adhibentur, si quodam fervoris impetu & ipsi incogitantius locuti. Quæ 1. Thess. 5. 2. & 2. Petr. 3. 10. cōparatio Christi seu ejus adventus cum furis nocturno adventu instituitur, nihil ad istam objectionem ornandam facit. Certè per eam comparationem Apostolicam falsi nihil aliis affingitur: ad offensionem non est directra, nec ad ullam detractioem. Inopinatum Christi reditum aptè significat, ad pietatem nervosè instimulat, evidentiā suā & cōnexæ in rebus œconomicis ad talem casum vigilantix monito socordiam dissuadet salutariter.

Hæc

Hæc de CHRISTI in cœlum ascensione, ac cœlo in quod corpore suo assumtus est, veritatis picassenda & modestè vindicandæ causâ scripta nunc sunt. Faxit verò Pater D. N. J. C. ut pia ac verè de Christi in cœlum ascensione, ac de cœlo illo meditatio ita animis nostris inhæreat ut simul etiam probè memores reditus ejusdem improvisi simus, reddituri tum Christo rationem non tam de opinionibus, quam de moribus nostris: ubi respondendum ab omnibus fuerit Regi Regum CHRISTO JESU de βασιλικῷ illo charitatis νόμῳ, de sapientiâ illâ quæ supernè est, ac primum quidem casta est, deinde pacifica, aqua, obsequens, plena misericordiæ & operum bonorum absq; disceptatione, ac minimè simulata. Hanc penitus nos omnes doceat Christus per spiritum suum sacrosanctum, dedoceat verò omnes, penes quos etiamnum est sapientiam illam, quæ supernè non descendit, sed terrena est, animalis, daemoniaca: in qua invidia & rixa, inquietæ vita & omne opus pravum.

Iac. 2. 8.

Iac. 3. 17.

Fructus justitiæ seritur cum pace iis, qui dant operam paci.

καγεγάματι quædam leviuscula Lectorem benevolum nihil offendent, si legerit

Thef. 19. lin. 8. cum. th. 94. l. 1. pro 16. 6. expuncto ibid. ac. th. 110. l. 4. apparitionum. th. 118. l. 4. pro ut, sit. th. 128. l. ult. evincat. th. 143. l. 4. referatur, conditio quædam &c. th. 144. l. 24. constar. th. 167. §. 6. l. 2. id: sequent. duar. thef. numer. corrigatur. thef. 172. l. 1. cum.



Q. D. B. P.
Disputationem Theologicam

EX
AUGUSTANA CONFESIONE DESUMTAM,

De

CONJUGIO
SACERDOTUM,

PRÆSIDE

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO,
AMPLISSIMO & EXCELLENTISSIMO,

DN. JOHANNEN Deutschmann/
S.S. Theolog. D. longe celeberrimo, ejusdemq;

Professore Publ. dudum immortaliter merito, Alumnorum Electoralium
Ephoro gravissimo, ut & Facultatis Theologicæ Decano
spectatissimo,

Dno Patrono, Præceptore ac Promotore

studiorum suorum, omni honoris & amoris cultu
æternum devenerando,

Publico Examine

Ad Diem 10 Julii Anno 1683.

H. L. S.

submittit

RESPONDENS

CASPAR Röhricht / Goldb. Siles.